T. LUCRETI CARI

DE RERUM NATURA

LIBRI SEX.

EDIDIT ET NOTIS INSTRUXIT

J. VAN DER VALK
Gymnasii Reformati Roterodamensis Rector.

PARS PRIOR.

KAMPEN — J. H. KOK — MCMIII.

4/

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM LIBRI PRIMI.

Libri primus et secundus sunt de iis, in quibus rerum natura consistit i.e. atomis et inani; libri tertius et quartus de animo; libri quintus et sextus de mundo.

Libro primo Lucretius docet nihil esse praeter infinitum numerum primordiorum solidorum ac aeternorum et inane infinitum; libro secundo, quomodo ex atomis in spatio res fiant.

Carminis prooemium (1—61).

Vs. 1—43. Lucretius invocat Venerem, Romanorum genetricem, rerum naturae gubernatricem, sine qua neque quidquam oriatur nec pulchrum fiat, Memmi fautricem, Martis amicam, ut carmen, quod latinis versibus de rerum natura Memmi causa scripturus sit, adiuvet pulchrumque faciat atque placidam petat a Marte pacem.

Vs. 50—61. Post lacunam carmen dedicat Lucretius Memmio, quem hortatur ut intento animo legat; se enim disserere incipere de dis [statim] et deinde de atomis [libro I et II].

Prooemium libri primi (62—145).

Vs. 62—79. Non deorum arbitrio, sed certis legibus naturae omnia fieri Epicurus ostendit, qui religioni primus obstitit. 1)

1) Primum notandum est religionem apud Lucretium idem esse atque *superstitionem.* Epicurei enim non docuerunt deos non esse, sed tales non esse, quales populus putaret. Cfr. quod Epicurus scribit ad Menoeceum 123: *θεοὶ μὲν γὰρ εἰσίν· ἐναργὴς γὰρ αὐτῶν ἐστιν ἡ γνῶσις. οἵους δ' αὐτοὺς οἱ πολλοὶ νομίζουσιν, οὐκ εἰσίν· οὐ γὰρ φυλάττουσιν αὐτοὺς οἵους νοοῦσιν.* [i.e. non enim memoria tenent deos quales percipiunt] *ἀσεβὴς δὲ οὐχ ὁ τοὺς τῶν πολλῶν θεοὺς ἀναιρῶν, ἀλλ' ὁ τὰς τῶν πολλῶν δόξας θεοῖς προσάπτων.* Plebem autem Lucretii temporibus deos minime optimos animis finxisse atque de eruditis illius saeculi hominibus dici posse: ubi dei desint, imagines instare, non est quod moneamus. Deinde, quod Epicurus et Lucretius docuerunt certas esse naturae leges, recte et laudabantur et laudabuntur; quod autem inde efficiunt *ergo* deos mundum nec procreasse nec regere, nemo est quin id, quod illi concludant, non effici ex propositis nec esse consequens consentiat. Ex eo enim, quod sol

Vs. 80—101. Noli vereri ne te impium faciam, si religionem oppugno; illa falsa de dis opinio peperit impia facta, ut apparet ex sacrificio Iphigeniae.

Vs. 102—135. Neque minus falsa est opinio poetarum de aeternis in morte poenis, quae hominibus metum affert. Ignorantia illas falsas et terrificas opiniones peperit. Quapropter bene nobis ratio habenda est cum superis de rebus [libro V et VI explicatis], tum de animi natura [libro III et IV illustrata].

Vs. 136—145. Quamquam me non fallit difficillimum esse haec versibus illustrare, tamen studiose operam dabo, ut lumen tibi, Memmi, praeferam. 1)

Liber primus dividitur in partes tres, quarum prima (146—482) nihil per se esse praeter corpora et inane demonstratur; altera (483—920) primordia esse solida atque aeterna; tertia (920—1117) atomorum numerum et inane esse infinita.

Pars I (146– 482).

Nihil est per se praeter corpora et inane.

Hac prima parte poeta primum (146—328) docet nullam rem e nihilo gigni (146—214) nec res ad nihilum perire (215—64), naturam igitur caecis corporibus res gerere (265—328); deinde (329—417) praeter corpora esse inane; denique (418—82) praeter corpora et inane nihil esse per se.

146—214. Nulla res e nihilo gignitur divinitus unquam.

1. Nam 159—73 res quaeque creatur ex *certa matre,* sc. ubi cuiusque rei materies inest;

2. praeterea 174—83 flores fructusque non fiunt nisi *certis anni temporibus,* ubi sc. certa semina suo tempore confluxerunt;

3. porro 184—91 ut res crescant, *temporis spatio* opus est crescentesque genus servant; sua igitur materia aluntur;

---

luna astra caelum aquae certis legibus optemperant, minime efficitur eas leges a deo iis non esse constitutas. (Cfr. Ps. 148 v. 3—6). Ut enim is erraret, qui sonum lyrae fieri ita explicaret, ut certo naturae foedere certum numerum vibrationum certum sonum creare diceret; atque inde efficeret *ergo* ipsam lyram sonus gignere nec esse qui lyra caneret, ita errant Epicurei quique eos secuti contendunt omnia certis legibus fieri neque *ergo* deum esse posse, qui sua vi suoque numine eas leges ita crearit atque regat, ut tandem eventurum sit ut summa harmonia omnia in solius dei gloriam concinant.

1) Videmus artem auctoris, qua hoc prooemio eum qui legit *attentum* facit, cum polliceatur se et timore deorum eum mortisque liberare et veram naturae rationem docere; *docilem,* cum res quas illustraturus est breviter exponat; *benevolum,* cum et inopiam suam reique difficultatem proferat et magnum suum erga eum, cui scripsit, amorem testetur.

Praeterea videmus Lucretium Epicuream de atomis doctrinam ideo illustrare, ut metum deorum mortisque tollat. Monendum tamen est, etiamsi omnis rerum natura consisteret ex atomis, inde tamen non effici mundum non divinitus procreatum esse. Immo Brittannorum clarissimorum physicorum facile fuit princeps Clerk-Maxwell, qui docuit atomos, quod immutabiles sint, nulla naturae vi formatas esse posse; et quod atomi eiusdem generis inter se sint consimillimae, potius manu factas („manufactured articles") quam aeternas videri.

4. huc accedit 192—8 ut nec arbores nec animalia sine *certis imbribus ciboque* vivere possint;

5. denique 199—207 nihil ultra *certum modum* egreditur; materies igitur certa rebus gignundis reddita est, e qua constat quid possit oriri;

6. postremo 208—14 agri *cultura* meliores reddunt fructus; sunt videlicet in terra primordia, quae nos agris colendis cimus ad ortum. 1)

215—64. Huc accedit uti quidque in sua corpora rursum dissoluat natura neque ad nilum interemat res. Si enim materies mortalis esset:

1. 217—24 res quaeque repente periret; *nulla* enim *vi* opus esset, quae nexus paulatim exsolveret;

2. praeterea 225—37 si materies vetustate penitus periret, infinita aetas ante acta consumpsisset omnem materiem;

3. denique 238—49 res omnis *eadem vis* conficeret; at nunc nexus dissimiles sunt atque alium alia vis exsolvit.

4. postremo 250—64 ex iis rebus, quae perire videntur, alias natura reficit.

265—328. Luc. ne incredibilia docere videatur, cum dicit res non de nihilo creari nec ad nihilum reduci, sed ad corpora caeca i.e. tam parva ut non cernantur, probat sensum (argum. 1 et 2) et rationem (3. 4. 5) nos docere re vera *existere corpora caeca:*

1. principio 271—97 ventum;

2. tum porro 298—304 odores aestum frigus voces;

3. denique 305—10 aquae particulas in umidis vestibus;

4. quin etiam 311—21 corpora in iis rebus, quae tactu deteruntur;

5. postremo 322—8 corpora, quibus accedentibus ac decedentibus res crescunt ac senescunt.

329—417. Praeter corpora est inane. Nam:

1. 335—45 quod si non esset *praeter res* inane, moveri non possent, quia corpus corpori obstat.

2. praeterea 346—57 tamen res alia per aliam permeat, veluti voces per muros, id quod fieri non posset, nisi essent *in rebus* inania, qua corpora transirent.

3. denique 358—69 multae res, eadem figura quae sunt, pondere differunt; admixtum igitur rebus est inane. 2)

4. 370—83 errant, qui dicunt, quamvis sint omnia plena, tamen res inter se locum mutare; res enim, nisi inane esset, initium movendi capere non possent.

5. postremo 384—97 errant ei qui, ut difficultatem tollant, docent aëra condensari; si enim iam posset (quod negat Luc.), sine inani certe non posset.

---

1) Quod Epicureis certissimumest argumentum *(videlicet* 210*)*, poeta ponere in extrema fere argumentatione solet.

Praeterea animadvertendum est poetam partem tantum probare eius rei, quam pollicitus est v. 150. Nihil enim aliud demonstrat nisi in nostro mundo nullam herbam nec animal ex nihilo, sed quidque nasci ac crescere ex certis seminibus. Non probat nullam rem *divinitus unquam* e nihilo gigni, quod fortasse sensit probari minime posse. Quod enim deorum opera atque vi divini numinis creetur, id ex nihilo fieri dicere, desipere esset.

2) Luc. non distinguit inter locum, qui a certa quidem re vacuus relictus est sed aëre occupatur, et locum, qui prorsus vacat vacuus, quorum utrumque dicit inane.

418—82. Praeter corpora et inane tertia natura non est.

1. 422—5 corpus enim esse sensus declarat, cui prima fides habenda.

2. tum porro 426—9 inane nisi esset, corporibus locus ac spatium non esset.

3. 430—9 praeter ea non est tertia natura. Nam quodcumque erit, debebit ipsum aliquid esse i.e. per se esse; quod si tangere et tangi potest, corpus est; si non potest, inane.

4. praeterea 440—8 quodcumque per se erit, aut facere quid debebit aut pati aut locum praebere; facere autem et pati nihil potest nisi corpus; locum praebere nihil nisi inane.

5. 449—82 quae autem dicuntur esse praeter inane et corpora, aut sunt *coniuncta* (i.e. qualitates, quae rebus ita coniunctae sunt, ut seiungi non possint, velut pondus) aut *eventa* (i.e. ea, quae rebus eveniunt atque contingunt, velut paupertas). Nec *tempus* per se est; non enim percipitur semotum ab rerum motu et quiete. 1)

Errant, qui negant bellum Troianum eventum esse hominum, qui iam mortui sint; bellum igitur esse per se. Eventum enim partim tantum est hominum, partim ipsorum locorum. Si nulla enim materia nec locus fuisset, neque Paris Helenam amare, nec Troia incendi potuisset. 2)

Pars II (483—920).
Primordia sunt solida atque aeterna.

Hac secunda parte Luc. primum 483—634 docet primordia esse solida et aeterna; deinde 635—920 refutat rationes contrarias.

483—634. Corpora sunt partim primordia, partim res, quae constant eorum concilio. Primordia autem aeterna sunt, quia sunt solida. Cum vero credere quicquam solido esse corpore difficile videatur, Luc. hoc probat 11 argumentis, quae sic iungenda sunt:

Prima series 503—39 continet tria argumenta logicae sive rationalis naturae, quibus probatur primordia esse sine inani, ergo solida:

1. principio 503—10 natura inanis et corporis ita dissimilis est, ut, ubi alterum sit, alterum esse non possit.

2. praeterea 511—19 in quaque re est inane; inane autem intus habere nihil potest nisi altera natura, sc. solida materia.

3. tum porro 520—39 si nihil esset inane, omne foret solidum; nisi contra corpora essent, omne constaret inane; et igitur inane est et solida materia, quae nec frangi potest nec penetrabilis est.

Secunda series 540—64 continet duo argumenta, quae pertinent ad τὸ *nunc, adhuc* esse:

4. praeterea 540—50 ex eo, quod materia aeterno tempore ante acto nondum ad nihilum redacta est, apparet eam perire non posse sed solidam esse.

5. denique 551—64 nisi frangendi finis esset, corpora materiae per totum

1) Tempus Epicuro est eventum non rerum, sed rerum motus et quietis, i.e. rerum eventorum: σύμπτωμα συμπτωμάτων.

2) *Coniuncta* per se non esse poetae non opus erat probare, qui in definitione id ita esse posuerat.

tempus praeteritum, quod est infinitum, iam eo redacta forent, ut res intra certum temporis spatium refici non possent. Res enim citius dissolvuntur quam reficiuntur.

Tertia series 565—98 continet tria argumenta physica, quibus Luc. ex corporea natura et qualitate rerum ac primordiorum ratiocinatur:

6. huc accedit, 565—76, ut ex solidis corporibus admixto inani non solum rerum vis sed etiam mollities facile explicatur; at contra ex mollibus vis non potest; unde primordia non mollia sed solida esse colligitur. 1)

7. porro 577—83 ex eo, quod ex aeterno tempore nunc etiam super sunt, apparet primordiorum naturam non fragilem sed solidam esse.

8. denique 584—98, quia rerum genera non mutantur, primordia quoque immutabilia esse necesse est.

Quarta series 599—634 continet tria argumenta, quibus probatur primordia esse minima corpora, quae, quamquam mente et cogitatione discernantur, frangi non possint sed solida sint:

9. tum porro 599—614 quaevis primordii pars est extremum cacumen, quod igitur sine partibus et minimum est; neque unquam per se secretum nec fuit nec erit, sed eae partes ex omni aeternitate ita inter se haerent, ut numquam divellantur. Primordia igitur solida sunt simplicitate.

10. praeterea 615—27, nisi erit minimum, nihil intererit inter rem maximam et minimam; quarum enim utraque ex infinita partium multitudine constabit. Quod quia absurdum, statuendum est esse minima, quae quoniam sunt, primordia solida sunt et aeterna.

11. denique 628—34, si primordia dividerentur in suas partes minimas, nulla res fieret; illa enim minima, quibus ipsis partes non sunt, non haberent conexus pondera cetera, quae si absunt nulla res reficitur.

635—920. Quapropter Luc. refellit eos, qui aut elementa aut homoeomerian esse docent.

635—704. Luc. errare dicit eos, qui materiam rerum ignem esse dicunt, inter quos est Heraclitus. Nam:

1. 645—54 variae res fieri non possunt ex materia ignea, quamvis condensari eam et rarefieri dicas; materia enim est immutabilis.

2. id quoque 655—64: negant esse inane; quod nisi exstaret, universum nihil esset nisi unum corpus, id quod falsum esse videmus.

3. quod si 665—89 forte dicunt igneam materiam mutari in alias res, hoc dicunt res e nihilo fieri; perit enim, quod mutatur. 2)

4. porro 690—700 cum dicit res omnes ignem esse, contra sensus repugnat, quibus nihil nobis certius est.

5. praeterea, 701—4, qui omnia tollit et ignem solum relinquit, eodem iure ignem esse neget atque aliam quamvis rem existere solam contendat. Aequa enim esset dementia.

705—829. Deinde impugnat eos, qui materiam rerum esse putarunt aëra aut

---

1) Nisi aquae materia solida esset, qua vi congelari posset?

2) Si res mutatur (quod fit detractione, additione, traiectione partium), illa quidem perit, fit tamen aliud quid. Materia vero, quae simplex est, mutari non potest quin plane intereat.

aquam aut terram aut duo aut quattuor elementa, quorum facile princeps dicitur Empedocles:

1. primum, 742—5, quod inane esse negant, licet materia iis mollis sit.

2. deinde, 746—52, quod finem esse frangendi negant.

3. huc accedit, 753—8, quod, primordia si mollia essent, ad nihilum iam redacta essent resque ex nihilo fierent.

4. deinde 759—62 inter se inimica illa sunt primordia mollia, quare aut congressa peribunt aut diffugient.

5. denique 763—81 sive quattuor elementa mutari dicuntur in omnes res atque in ea res omnes rursum dissolvi, cur illa potius elementa esse dicuntur quam res? Sive autem elementa immutabilia esse perhibentur, nulla res ex iis creari poterit. At primordia nullius rei similem, sed quasi caecam naturam habere necesse est, ut ex illis res creentur variae.

6. quin etiam 782—829 qui dicunt caeli ignes mutari in aëra, hunc in imbrem, imbrem in terram atque rursum terram in umorem aëra ignem, errant quia materiam mutabilem ponunt. Immo primordia, quae nullius rei habent naturam, ignem postquam crearunt, ordine et motu mutato aëra efficiunt. „At videmus res crescere ex terra in aëra sole imbribusque fotas." Nimirum quia primordia multa multis rebus communia sunt; namque eadem caelum mare terras arbores constituunt, verum alia aliis alioque modo commixta sunt atque alio modo inter se moventur, ut eaedem litterae ordine permutato varia verba constituunt.

830—920. Denique refutat Anaxagorae rationem, quae homoeomeria dicitur. Is docet cuiusque rei vel minimas partes (μέρη) simillimas (ὅμοια) esse rei naturae; ossa igitur ex minutis constare ossibus; atque tot esse elementa, quot sint genera rerum. Luc., eius rationem ut refutet, haec profert argumenta:

1. 843—6 errat, quod negat esse inane et finem frangendi.

2. adde quod 847—58 Anaxagorae primordia, rebus simillima, mollia sunt.

3. praeterea 859—66 sive cibus ὁμοιομερής esse dicitur, nostrae venae sanguis ossa ex alienis partibus; sive haec sunt ὁμοιομερῆ, cibus ex alienis rebus constat.

4. praeterea 867—74 quaecumque e terra crescunt, si fuerunt in terra, terra constat ex rebus alienis; quod idem valet de aliis rebus.

5. 875—914 quod Anaxagoras praeterea docet omnia elementa omnibus rebus inmixta esse, sed illud tantum apparere, cuius plurima mixta sint, errat. Conveniebat enim fruges cum fraguntur, mittere signum sanguinis, pabula lactis, terram herbae, lignum ignis. „At silvae saepe ipsae exardescunt". Non tamen ignis in ligno est, sed terendis inter se lignis semina ignis confluunt, quae postquam cum aliis primordiis alio modo coniuncta lignum fecerunt, nunc ignem efficiunt.

6. denique 915—20 si rebus similia sunt, hominis primordia sunt homunculi.

Pars III (921—1117).
Materia et inane sunt infinita.

Hac tertia parte Luc. primum (921—1051) demonstrat tam *omne* atque

omne quod est spatium infinita esse (921—1007), quam materiam (1008—51); deinde (1052—1113) errare docet eos, qui dicant omnia in universi medium niti.

921—1007. Prooemio praemisso Luc. docet omne et spatium infinita esse:

1. 958—67 universum non habet extremum; extremum enim esse non potest, nisi ultra sit quod finiat; ultra autem universum nihil est.

2. praeterea 968—83 fac spatium esse finitum; telum missum aut superabit oras extremas aut prohibetur ab aliqua re; aut corpus igitur aut inane erit extra extremas illas oras.

3. praeterea 984—97 si spatium finitum foret, corpora pondere ad imum confluxissent et materia cumulata iaceret.

4. postremo 998—1007 alternis terra mare, mare terram terminat; aër montes, montes aëra; nihil tamen est, quod terminet universum.

1008—51. Materia infinita est:

Alternis enim corpus spatium, spatium corpus in immensum terminat. [Nam sive inane finitum esset, universum, quod infinitum esse vidimus, non haberet ubi esset; sive materia finita esset], res non consisterent, sed atomi, dispulsae de coetu materiae, solutae ferrentur per magnum inane; vel potius res numquam creatae essent. Non enim consilio concilium inierunt atomi, sed multis modis ex omni aeternitate percitae plagis omnes coetus experiendo tandem crearunt hunc mundum servantque alundo; quod facere non possent, nisi copia suppeteret infinita.

1052—1113. Errant, qui dicunt omnia in universi medium niti et sub terrae orbe animalia supina vagari:

1. nam 1070—82 in spatio infinito medium non est. Neque, si iam sit, locus est ullus in inani, ubi corpora ponderis vi amissa constent.

2. praeterea 1083—1113 dicunt non omnia corpora in medium niti, sed terram tantum et aquam; ignem autem et aëra a medio differri; quod si ita esset, moenibus, quae mundum cohibent, dissolutis cetera sequerentur atque nihil superesset praeter inane et corpora caeca.

T. LUCRETI CARI

DE RERUM NATURA

LIBER PRIMUS.

Aeneadum genetrix, hominum divomque voluptas, totius carminis prooemium.
alma Venus, caeli subter labentia signa
quae mare navigerum, quae terras frugiferentis
concelebras, per te quoniam genus omne animantum
concipitur visitque exortum lumina solis:
te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli
adventumque tuum, tibi suavis daedala tellus
summittit flores, tibi rident aequora ponti

---

1. *Aeneades* sunt Romani, qui genus ducunt a Troiano Aenea, Veneris filio. Poeta Romanus Romanis deam Romanorum sacris, populi originis memoria poetarumque carminibus canit consecratam. — Attende ad duplicem gradationem. **1—20.** Poeta hoc dicit: O Venus, quae tuo numine mundum comples, quoniam per te omnes animantes concipiuntur: tuam vim fugiunt venti tuaque opera vernum tempus oritur. Nam simulac ver esse coepit, animalia tuum significant adventum efficisque ut genera propagent. **2.** *almus* dicitur de iis, qui vitam vel nutrimentum quoquo modo praebent aut tuentur; praesertim igitur de Venere et Cerere. **4.** *concelebras* i.e. uno tempore frequentas, permeas; tuo numine comples. Cfr 2, 344—6. **5.** *lumina solis.* Cfr. *φάος ἠελίοιο.* **7.** Festus, qui Verrii Flacci, Augusti fere aequalis, opus de verborum significatu excerpsit, dicit „*daedalam* a varietate rerum artificiorumque dictam esse apud Lucretium terram, apud Ennium Minervam, apud Vergilium Circen, facile est intellegere, cum Graece *δαιδάλλειν* significet variare." h.l. igitur: quae varia variis creat artibus. **8.** *ridere* hic et 2,559; 5,1005 dicitur de undis nitentibus; Aesch. Prom. 89 *ποντίων τε κυμάτων ἀνήριθμον γέλασμα* et Catul. 64, 275 *resonant leni plangore cachinni* de earum leni murmure.

placatumque nitet diffuso lumine caelum.
nam simul ac species patefactast verna diei
et reserata viget genitabilis aura favoni,
aëriae primum volucres te, diva, tuumque
significant initum perculsae corda tua vi.
inde ferae pecudes persultant pabula laeta
et rapidos tranant amnis: ita capta lepore
te sequitur cupide quo quamque inducere pergis.
denique per maria ac montis fluviosque rapacis
frondiferasque domos avium camposque virentis
omnibus incutiens blandum per pectora amorem
efficis ut cupide generatim saecla propagent.
quae quoniam rerum naturam sola gubernas
nec sine te quicquam dias in luminis oras
exoritur neque fit laetum neque amabile quicquam
te sociam studeo scribendis versibus esse,
quos ego de rerum natura pangere conor

---

10. voce *patefacta* mensis Aprilis facete significari videtur. **12.** *primum* ... *deinde* tam enumerationi inservire quam diversa tempora indicare solent; h.l. utrumque fit. *Primum* . . . *inde* apud Luc. non nisi diversa tempora indicant. **13.** *perculsae.* Cfr. Plaut. Trin. 242 *Nam qui amat, quod amat, quom extemplo eius saviis perculsus est.* **15.** *ferae* sc. amore, Veneris stimulis. — Cic. de Or. 3,155: „laetas segetes etiam rustici dicunt." **16.** *pergis* i.e. non desinis. **17.** *denique* h.l. et 1,76 (qui versus idem est ac 1,595. 5,89. 6,65) significat *ut paucis absolvam, ne plura.* Ceteris autem locis Luc. hac voce utitur ita, ut [saepissime paenultimum, interdum ultimum] argumentum aliamve rem cum antecedentibus conectat et significet *praeterea, porro.* **20.** *saeclum* [qua forma Luc. semper utitur, non *saeculum*] significat proprie *id quod seritur,* ut iaculum id quod iacitur; deinde: 1. hominum atque animalium genus ac *subolem,* ut h.l. 2. *speciem* et genus rerum, ut 2,1079. 1113. 3. *aetatem, per quam vivit saeculum hominum* in formula, quae est: *(multa) vivendo vincere (condere) saecla* 1,202. 3,948. 1090. Eodem modo Vergilius Lucretium imitatus Georg. 2,295 *multa virum volvens durando saecula vincit.* **23.** Est gradatio in verbis *laetum* (quod placet oculis) et *amabile* (quod animum movet). **25.** *De rerum natura* inscribitur carmen Lucretianum, quo illustrat doctrinam Epicuri, qui scripsit 37 libros *περὶ φύσεως,* quorum fragmenta Herculanei reperta sunt. — Festus: „*pangere* figere, unde plantae pangi dicuntur, cum in terram demittuntur; inde etiam versus pangi vel figi in cera dicuntur."

Memmiadae nostro, quem tu, dea, tempore in omni
omnibus ornatum voluisti excellere rebus.
quo magis aeternum da dictis, diva, leporem.
effice ut interea fera moenera militiai
per maria ac terras omnis sopita quiescant:
nam tu sola potes tranquilla pace iuvare
mortalis, quoniam belli fera moenera Mavors
armipotens regit, in gremium qui saepe tuum se
reicit aeterno devictus vulnere amoris,
atque ita suspiciens, tereti cervice reposta,
pascit amore avidos, inhians in te, dea, visus,
eque tuo pendet resupini spiritus ore.
hunc tu, diva, tuo recubantem corpore sancto

---

26. *Memmiadae* i.e. Memmiorum clarorum propagini. Cfr. Verg. Aen. 5,117 *Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi.* Hunc vulgo putant esse C. Memmium L. f., qui tribunus plebis fuit anno 66 a. Chr. n., praeturam gessit a. 58, proximisque annis (57—56) propraetor fuit Bithyniae. Anno 54 de ambitu condemnatus Athenas iit in exilium. Cicero eum dicit [Brut. 247] perfectum litteris, sed graecis, fastidiosum sane latinarum; argutum oratorem verbisque dulcem, sed fugientem non modo dicendi verum etiam cogitandi laborem. Non tamen pro certo affirmari potest hunc potius Memmium a Lucretio significari, quam eius fratris filium, cui idem erat nomen, qui tribunus plebis fuit a. 54, aut C. Memmium C. [praetoris] f. Fausta natum, qui consul suffectus fuit anno 34. **27.** Cfr. Od. 4,725 παντοίῃσ᾽ ἀρετῇσι κεκασμένον ἐν Δαναοῖσι. **28.** *Leporem* Venus poetae roganti iam dederat: pulchra enim allitteratione consona verba *da dictis diva* coniuncta sunt. **29.** *moenera* i.e. munera. Luc. scribit etiam *moerorum, poeniceus, poenibat* [i.e. puniebat]. Diphthongus *oe*, nata ex *oi*, denique mutata est in *u*, veluti: *oinum, oenum, unum.* — *militiai.* Luc. utitur et nova forma primae declinationis *(ae)* et antiqua *(ai)* substantivorum et adiectivorum casu genetivo et dativo (1,453). **30.** *Sopita quiescant.* „Hanc, quam verbis coniunctis effert sententiam, eandem simplici verbo *sopita sunt* vel *quiescant* non minus recte exprimere potuit; nam *sopitum esse* idem valet quod *quiescere.* Sed duobus verbis in unum quasi confusis petitam quandam sententiae efficit gravitatem, quasi dixerit *alto sopore quiescant.*" Ex hoc igitur loco cave ne conicias tempore, quo poeta hunc versum scripserit, Romanos bellum gessisse. **33.** *reposta* i.e. reposita. **34.** *sqq.* Mars, qui se *r*eicit cervice *r*eposta *r*esupinus *r*ecubans, totus est in Veneris potestate. **35.** Quintilianus 8,3,35: „*cervicem* videtur Hortensius primus dixisse, nam veteres pluraliter appellant." **38.** *corpore.* Ablativo loci saepissime Luc. utitur. Ceterum *corpore* iungendum est et cum *recubantem* et cum *circum fusa.*

circum fusa super, suavis ex ore loquellas
funde petens placidam Romanis, incluta, pacem:
nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo
possumus aequo animo nec Memmi clara propago
talibus in rebus communi desse saluti.

*

quod super est, vacuas auris animumque sagacem
semotum a curis adhibe veram ad rationem,
ne mea dona tibi studio disposta fideli,
intellecta prius quam sint, contempta relinquas.
nam tibi de summa caeli ratione deumque
disserere incipiam, et rerum primordia pandam,
unde omnis natura creet res, auctet, alatque,

---

39. loquella, querella, medella, luella, sequella, quorum vocabulorum antepaenultima syllaba brevis est, per duplicem litteram *l* scribuntur; sed custodela, suadela, tutela, clientela, cautela, candela, corruptela, quorum eadem syllaba longa est. **41.** *hoc agere* sign. *προσέχειν τοῖς ἱεροῖς,* attento animo aliquid sollemne agere; h. l. igitur: fungi sacro officio, sc. naturam quaerere rerum semper et inventam patriis exponere chartis [4,969 sq]. **43.** *desse* i.e. deesse. — Quod poeta, qui hoc carmine imprimis docturus est deos nihil homines curare, hisce versibus tantopere Veneris maiestatem agnoscit eiusque opem implorat, nos admonet illud Horatianum *naturam expelles furca, tamen usque recurret.* In Lucretio poeta saepius victoriam reportat de philosopho. Ceterum neminem deorum Epicurei sectator rectius invocaverit quam hominum divomque *voluptatem* (v. 1). **44—9.** iidem sunt atque 2,646—51. **50.** *quod super est* i.e. praeterea, deinde. Cic. Div. 1,31: „*sagire* sentire acute est; ex quo *sagae* anus, quia multa scire volunt et *sagaces* dicti canes. Is igitur qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur *praesagire,* id est futura ante sentire." **51.** *ratio* i.e. sapientia, philosophia. Cfr. 5,9 sq. Vera ratio Lucretio est Epicuri philosophia. **54.** *de summa caeli ratione deumque* i.e. de totius rationis principio, quod est de dis caelestibus. Poeta h.l. sequitur popularem opinionem, qua di in caelo habitare putabantur, veluti v. 62 sqq. Nam Epicurei docent deos habitare in intermundiis, quae sunt inter mundos loca [cfr. 5, 146—155]. Eodem modo explicanda sunt, buae dicit de *mente* animalium 1,261. 2,265. 268. 3,299 et de *vi abdita* 5,1233. **55.** *primordia.* Poeta declinat hanc vocem sic: primordia [vel exordia, ordia prima], principiorum, principiis; ceterae enim formae hexametro non aptae sunt.

quove eadem rursum natura perempta resolvat;
quae nos materiem et genitalia corpora rebus
reddunda in ratione vocare et semina rerum
appellare suëmus et haec eadem usurpare
corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.
Humana ante oculos foede cum vita iaceret
in terris oppressa gravi sub religione,
quae caput a caeli regionibus ostendebat
horribili super aspectu mortalibus instans,
primum Graius homo mortalis tollere contra
est oculos ausus primusque obsistere contra;
quem neque fama deum nec fulmina nec minitanti
murmure compressit caelum, sed eo magis acrem
inritat animi virtutem, effringere ut arta
naturae primus portarum claustra cupiret.
ergo vivida vis animi pervicit, et extra
processit longe flammantia moenia mundi

prooemium libri primi.

---

57. *quove* pro *quoque* [i.e. et quo], quod foret ambiguum. — *eadem natura resolvat perempta* [i.e. res peremptas]. **60.** *usurpare.* Cic. de off. 2,39 *C. Laelius is qui Sapiens usurpatur.* **61.** Praeter haec nomina Luc. usurpat: *semina, corpora (materiai), corpuscula, prima, figuras;* numquam *atomos* nec *(corpuscula) iudividua,* quibus nominibus Cicero primus usus est. Epicurus atomos appellat (*τῶν ὄντων*) *ἀρχάς, σώματα, ἄτομα σώματα, ἀτόμους.* **65.** vocibus *super* [adverbium est, ut 1,39] *instans* poeta designare videtur *superstitionem.* **66.** *Graius homo* est Epicurus, cuius doctrinam poeta latinis versibus illustrat [cfr. 1,136 sqq.]; nomen eius Luc. semel tantum dicit 3,1042. Natus est in pago Attico, cui nomen Gargettus; sapientiam suam primo tradidit Mytilenensibus, deinde Lampsacenis, denique ab anno 306 Atheniensibus, in quorum urbe mortuus est a. 270. — Graecos appellant epici poetae *Graios.* — *tollere* et *iaceret* (62) inter se opposita sunt. Praeterea cfr. Liv. 6,16,3 *nec adversus dictatoriam vim aut tribuni plebis aut ipsa plebes attollere oculos aut hiscere audebant.* **70.** *inritat* (*a* longa est) i.e. inritavit. Eodem modo formatum est disturbât (6,587). **71.** *cupiret* pro *cuperet,* ut Enn. Ann. 10 *parire* pro *parere,* 384 *morimur* (*i* longa est), Ovid. Met. 14,215 *moriri.* **73.** *moenia mundi* poeta dicit igniferum aethera, cuius originem describit 5,467—70. — Quanta cum admiratione poeta cognosset *spectri* quam physici dicunt *analysin,* per quam longe procedunt extra moenia mundi nobisque referunt ex quibus rebus sidera constent

atque omne immensum peragravit mente animoque;
unde refert nobis victor quid possit oriri,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
qua nam sit ratione atque alte terminus haerens.
quare religio pedibus subiecta vicissim
opteritur, nos exaequat victoria caelo.
Illud in his rebus vereor, ne forte rearis
inpia te rationis inire elementa viamque
indugredi sceleris. quod contra saepius illa
religio peperit scelerosa atque impia facta.
Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianassai turparunt sanguine foede
ductores Danaum delecti, prima virorum.

---

74. *omne* i.e. *τὸ πᾶν.* — „Animus est in partes tributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers" [Cic. Tusc. 2,21]. Illa significatur, si dicimus *fingere animo; cum animo cogitare, recordari; animadvertere;* haec, si dicimus *animo obsequi; animi causa. Mens animi* igitur est animi pars rationis particeps; atque *mens animusque* significant ambas animi partes vel potius facultates, ut *φρὴν καὶ θυμός.* H. l. *mente animoque* sign. ratione et studio; cogitando et perseverando; assidua cogitatione. **75.** *refert.* „translatio a re militari, ut apud Verg. Aen. 4,93 *laudem et spolia ampla refertis.*" **77.** *alte terminus haerens* i.e. *depactus terminus alte* (2,1087), *stabilis rerum terminus* [Hor. carm. saec. 26]. **78.** Vergilius Lucretium significavit, cum scripsit Georg. 2,490: „Felix qui potuit rerum cognoscere causas Atque metus omnis et inexorabile fatum Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari." **81.** *impia rationis elementa* [i.e. principia] per enallagen explicandum est: impiae r. e. **82.** *indugredi.* Antiquae formae praepositionis *in* erant *endo* (6,890) et *indu* [2,1096 alibi]. Cfr. *indigeo* et *induo.* Apud Luc. praeterea scripta leguntur *indupedire, induperator, indeptus* [i.e. adeptus], *iacere indu* [i.e. inicere]. — *quod contra.* Cic. de Sen. § 84 *proficiscar... ad Catonem meum... cuius a me corpus est crematum,* quod contra *debuit ab illo meum.* Illud *quod,* quae antiqua videtur ablitivi esse forma, etiam est in *quod si, quod quoniam, quod nunc* (1,221), *quod utinam.* — *illa* i.e. illa infamis, ut 4,181. 910. **85.** Apud Homerum [Il. 9,145. 287] Agamemnonis filiae Chrysothemis Laodice Iphianassa, apud tragicos dicuntur Iphigenia Electra Chrysothemis. **86.** *prima virorum* i.e. *τὰ πρῶτα τῶν ἀνδρῶν.* Cfr. Herod. 9,78 *Λάμπων Αἰγινητέων τὰ πρῶτα.* Quam non decebat *prima* virorum Virginis aram turpare!

cui simul infula virgineos circum data comptus
ex utraque pari malarum parte profusast,
et maestum simul ante aras adstare parentem
sensit, et hunc propter ferrum celare ministros,
aspectuque suo lacrimas effundere civis,
muta metu terram genibus summissa petebat.
nec miserae prodesse in tali tempore quibat
quod patrio princeps donarat nomine regem:
nam sublata virum manibus tremibundaque ad aras
deductast, non ut sollemni more sacrorum
perfecto posset claro comitari Hymenaeo,
sed casta inceste, nubendi tempore in ipso,
hostia concideret mactatu maesta parentis,
exitus ut classi felix faustusque daretur.
tantum religio potuit suadere malorum.

---

87. „*Infula* fascia [lanea] in modum diadematis, a qua vittae ab utraque parte dependent; quae plerumque lata est, plerumque tortilis, de albo et cocco." [Serv.] „Ea sacerdotes et hostiae templaque velabantur" [Fest.]. — *virgineos comptus. Nubendi tempore in ipso* [v. 98] amicta erat flammeo [i.e. velamentum flammeo colore] et ornata sex crinibus [i.e. ex utraque parte capitis tres crines dependebant]. **88.** ex utraque mala partibus infulae paribus. **90.** *propter* [i.e. prope] *hunc.* **92.** *genibus summissa* sc. supplicandi causa. Cfr. Suet. 3,20 *seque . . . patri ad genua summisit;* Ovidius [Pont. 3,1,149] rogat uxorem ut uxori pricipis supplicata veniam sibi inveniat: *summissaque terrâ Ad non mortalis bracchia tende pedes.* **94.** Eur. Iph. Aul. 1222 *πρώτη σ' ἐκάλεσα πατέρα καὶ σὺ παῖδ' ἐμέ.* **95.** *tremibunda* pro vulgari forma *tremebunda* scriptum legitur etiam Verg. Aen. 10,522 et apud Lucretii imitatorem Arnobium. — In iis, quae praecedunt, Iphigeniae afflicta fortuna opponitur felicibus temporibus praeteritis; in iis, quae sequuntur, felicitati, quam instare sperabat. **96.** Etiam novae nuptae *deduci* dicuntur domum mariti. Cfr. Apulei Metam. 4,26 „Tunc me gremio suo mater infelix tolerans mundo nuptiali decenter ornabat . . . cum irruptionis subitae gladiatorum impetus ad belli faciem saeviens, nudis et infestis mucronibus coruscans non caedi, non rapinae manus afferunt, sed denso conglobatoque cuneo cubiculum nostrum invadunt protinus. Nec ullo de familiaribus nostris repugnante ac ne tantillum quidem resistente *me miseram exanimem saevo pavore trepidam de medio matris gremio rapuere.*" **97.** *comitare* active usurpavit etiam Ovidius. — *c.H.* sc. ut nuberet Achilli.

Tutemet a nobis iam quovis tempore vatum
terriloquis victus dictis desciscere quaeres.
quippe etenim quam multa tibi iam fingere possunt
somnia, quae vitae rationes vertere possint
fortunasque tuas omnis turbare timore!
et merito: nam si certam finem esse viderent
aerumnarum homines, aliqua ratione valerent
religionibus atque minis obsistere vatum:
nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas,
aeternas quoniam poenas in morte timendum.
ignoratur enim quae sit natura animai,
nata sit, an contra nascentibus insinuetur,
et simul intereat nobiscum morte dirempta,
an tenebras Orci visat vastasque lacunas,
an pecudes alias divinitus insinuet se,
Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
per gentis Italas hominum quae clara clueret;
etsi praeterea tamen esse Acherusia templa

---

102. Antiquissimo poetarum nomine, quod est *vates,* contempto Naevius Ennius Pacuvius se *poetas* dixerunt; a Lucretio quoque cum contemptu usurpatur *vates* h. l. et 109. Eodem modo Ennius: *scripsere alii rem Vorsibu' quos olim Faunei* VATES*que canebant; Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat Nec dicti studiosus erat.* Vergilius tandem atque qui eum secuti sunt scriptores voce *vates* ita usi sunt, ut magnum ardui furoris poetam significarent. **105.** *Somnia* i.e. inepta, falsa. Verg. Buc. 8,108. *credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?* **107.** *finis* apud Luc. feminini generis est. **109.** Vis vocis *religionis* cohaerere videtur cum verbo religandi. Cf. 1,931; 4.6 *artis religionum animum nodis exsolvere,* Cic. de domo 105 *nisi etiam muliebribus religionibus te implicuisses,* Tacit. Ann. 12,34 *religione gentili obstringi,* Ann. 3,20 *religionibus devincire populum,* Nigidius Figulus [apud Gell. 4,9] *religiosus is appellabatur, qui nimia et superstitiosa religione sese alligaverat.* Quod ad formam cfr. *opinio, optio, rebellio;* quod ad vim passivam *oblivio.* **114.** *dirempta* i.e. *distracta.* **116.** *alias* Graeco more h. l. usurpatur. Cfr. Empedocl. *ἄνθρωποί τε καὶ ἄλλων ἔθνεα θηρῶν.* **117.** In hoc prooemio Luc. laudat et philosophum (Epicurum v. 66) et poetas (Ennium et Homerum v. 124) quos imitatur. Empedoclem autem laudibus efferet tum, cum de eius doctrina aget v. 716. — *primus.* Cfr. ipsius Ennii versus ad v. 102 laudatos. **119.** *cluere* i.e. dici. **120.** Ennius ipse dixit *Acherusia t*

Ennius aeternis exponit versibus edens,
quo neque permanent animae neque corpora nostra,
sed quaedam simulacra modis pallentia miris;
unde sibi exortam semper florentis Homeri
commemorat speciem lacrimas effundere salsas
coepisse et rerum naturam expandere dictis.
qua propter bene cum superis de rebus habenda
nobis est ratio, solis lunaeque meatus
qua fiant ratione, et qua vi quaeque gerantur
in terris, tum cum primis ratione sagaci
unde anima atque animi constet natura videndum,
et quae res nobis vigilantibus obvia mentes
terrificet morbo adfectis somnoque sepultis,
cernere uti videamur eos audireque coram,
morte obita quorum tellus amplectitur ossa.
Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
difficile inlustrare Latinis versibus esse,
multa novis verbis praesertim cum sit agendum
propter egestatem linguae et rerum novitatem:
sed tua me virtus tamen et sperata voluptas
suavis amicitiae quemvis efferre laborem
suadet et inducit noctes vigilare serenas,

---

122 sq. Secundum Ennium morte corpus perit, animus migrat in aliud corpus, simulacrum nostrum permanat in Orcum. **125.** Apud Homerum mortuorum umbrae simulac *familiarem* quendam vident, flere incipiunt. Cfr. Il. 23, 106. Od. 11, 154. 387—92. 471 sq. Nec aliter Verg. Aen. 2, 271. Homerus Ennium docuit eius animum antea fuisse in Euphorbo, *Homero*, Pythagora. **130.** *cum primis* i.e. imprimis. **131.** *Animus* in pectore positus dominatur in corpore toto secundum Lucretium; *anima* per totum corpus dissita paret animo. Animus vero et anima inter se coniuncta sunt unamque conficiunt ex se naturam (3, 136—160). **136.** *animi* est genetivus relationis; scriptores post Luc. hanc formam non adiunxerunt nisi iis verbis, quae dubitationem et sollicitudinem significant, veluti *animi pendere, angi.* **137.** *inlustrare* opponitur voci *obscura* (v. 136). **138** sq. Dactylis in primo pede positis poeta significare videtur operis suscepti ardorem, spondeis molestias deinde oblatas, denique binis extremis pedibus molestias studio superatas. **141.** *amicitiae* sc. nostrae auctae, si liber meus tibi acceptus erit. — *efferre* i.e. ferre usque ad finem.

quaerentem dictis quibus et quo carmine demum
clara tuae possim praepandere lumina menti,
145 res quibus occultas penitus convisere possis.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest **nil e nil**
non radii solis neque lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque.
principium cuius hinc nobis exordia sumet,
150 nullam rem e nilo gigni divinitus umquam.
quippe ita formido mortalis continet omnis,
quod multa in terris fieri caeloque tuentur,
quorum operum causas nulla ratione videre
possunt ac fieri divino numine rentur.
156 quas ob res ubi viderimus nil posse creari
de nilo, tum quod sequimur iam rectius inde
perspiciemus: et unde queat res quaeque creari
155 et quo quaeque modo fiant opera sine divom.
159 Nam si de nilo fierent, ex omnibu' rebus **arg.**
omne genus nasci posset, nil semine egeret.
e mare primum homines, e terra posset oriri
squamigerum genus et volucres erumpere caelo;
armenta atque aliae pecudes, genus omne ferarum,
incerto partu culta ac deserta tenerent;

---

146. *H. t. a. t.* i.e. hunc terrorem animi tenebris [i.e. ignorantia] effectum [ἓν διὰ δυοῖν], sc. Memmio iniectum falsa de dis opinione (62 sqq.), poetarum de poenis in morte aeternis terriloquis dictis (102 sqq.), mortuorumque simulacris (132 sqq.). Cicero de fin. 1, 64 Epicureum Torquatum inducit dicentem haec: „Sic e physicis et fortitudo sumitur contra *mortis timorem* et constantia contra *metum religionis* et sedatio animi omnium rerum occultarum *ignoratione sublata*." **148.** Naturae speciem rationemque cognoscimus naturam contemplando et explorando. Naturae rationem Epicurus dicit **φυσιολογίαν.** Cfr. Manil. 1, 35 *et veneranda Non species tantum sed et ipsa potentia rerum.* species est contemplatio; Cfr. Cic. N.D. 2, 155 *nulla est enim insatiabilior species.* **149.** *cuius* [quae vox h. l. est monosyllaba] referendum est ad *ratio.* **157.** *quod sequimur* i.e. quod quaerimus (cfr. 6, 808) i.e. *τὸ ζητούμενον* [Epic.]. **159.** Epic. ad Her. 38: *οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος· πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίνετ᾽ ἂν σπερμάτων γε οὐθὲν προσδεόμενον.* **161.** Sexti casus forma *mare* etiam Plautus et Ovidius usi sunt.

nec fructus idem arboribus constare solerent,
sed mutarentur, ferre omnes omnia possent.
quippe, ubi non essent genitalia corpora cuique,
qui posset mater rebus consistere certa?
at nunc seminibus quia certis quaeque creantur,
inde enascitur atque oras in luminis exit,
materies ubi inest cuiusque et corpora prima;
atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
quod certis in rebus inest secreta facultas.
praeterea cur vere rosam, frumenta calore, 2.
vites autumno fundi suadente videmus,
si non, certa suo quia tempore semina rerum
cum confluxerunt, patefit quod cumque creatur,
dum tempestates adsunt et vivida tellus
tuto res teneras effert in luminis oras?
quod si de nilo fierent, subito exorerentur
incerto spatio atque alienis partibus anni;
quippe ubi nulla forent primordia, quae genitali
concilio possent arceri tempore iniquo.
nec porro augendis rebus spatio foret usus, 3.
seminis ad coitum, si e nilo crescere possent;

---

165. *Constare* i.e. constanter manere, non mutari. Cfr. Liv. 39, 34 *adeo perturbavit ea vox regem, ut non color, non vultus ei constaret.* **169.** Voce *nunc* saepe utuntur Luc. Cic. Liv., cum transeunt ab eo, quod falsum, ad id quod verum iis videtur. **170** sq. i.e. quidque enascitur inde . . . ., ubi eius materia inest. **171.** *materies, corpora prima.* V. ad v. 61. Vox *materies* derivanda videtur. a voce *mater* (cfr. 168). Truncus, unde sarmenta prodeunt, dicitur *materies* (Cic. Or. 2, 21), *mater* (Verg. Georg. 2, 23; Colum. 3, 17; Plin. 12, 5, 11) *matrix* (Suet. Aug. 94); *μήτραν* Theophrastus H. Pl. 5, 3, 1 dicit arboris medullam, *μελάνδρυον*. **172.** *hac re* i.e. hanc ob rem. Cfr. *qua re*, quam ob rem. **173.** *secreta* i.e. distincta, propria, certa. **174.** Cfr. Cic. Tusc. 5, 13, 37 *neque est ullum, quod non ita vigeat . . . ., ut aut flores aut fruges fundat aut bacas.* N.D. 2, 156 *terra* [fruges] *fundit.* **175.** *vitis* metonymice est uva vel vinum. Cfr. Verg. Georg. 2,97 *sunt et Aminneae vites, firmissima vina.* **178.** „*tempestates* i.e. tempora idonea atque opportuna, nam tempestatis vox est media." **181, 184.** *spatio* i.e. tempore. **183.** Atomorum *concilio* [*συγκρίσει*] existunt res, *discidio* [*διακρίσει*] redeunt in corpora materiae (1, 249). **185.** *s. a. c.* i.e. ut alia rerum primordia coirent ad concilium genitale (182).

nam fierent iuvenes subito ex infantibu' parvis,
e terraque exorta repente arbusta salirent,
(quorum nil fieri manifestum est, omnia quando
paulatim crescunt, ut par est semine certo);
crescentesque genus servant, ut noscere possis
quicque sua de materia grandescere alique.
huc accedit uti sine certis imbribus anni 4.
laetificos nequeat fetus submittere tellus,
nec porro secreta cibo natura animantum
propagare genus possit vitamque tueri;
ut potius multis communia corpora rebus
multa putes esse, ut verbis elementa videmus,
quam sine principiis ullam rem existere posse.
denique cur homines tantos natura parare 5.
non potuit, pedibus qui pontum per vada possent
transire et magnos manibus divellere montis
multaque vivendo vitalia vincere saecla,
si non, materies quia rebus reddita certast
gignundis, e qua constat quid possit oriri?
nil igitur fieri de nilo posse fatendumst,
semine quando opus est rebus, quo quaeque creatae
aëris in teneras possint proferrier auras.
postremo quoniam incultis praestare videmus 6.
culta loca et manibus melioris reddere fetus,

---

186. *iufantibu'*. Cic. Orator 161: „quod iam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eaedem erant postremae duae litterae quae sunt in *optumus*, postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Ita non erat ea offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetae novi. Ita enim loquebantur *qui est omnibu' princeps* non *omnibus princeps* et *vita illa dignu' locoque* non *dignus*." Cicero dicit litteram *S* non *pronuntiatam* esse; scripsisse tamen eam Lucretium veri simile est; nam et manuscripti fere ubique et grammatici, qui hoc ipso versu pro exemplo utuntur, servarunt. **187.** *arbusta* i.e. arbores, quae forma in hexametrum non quadrat. **190.** *crescentesque* sc. res (184). Cfr. ad 1, 592. **194.** *secreta* i.e. privata. **196** sq. Cfr. 2, 688—99. **197.** *u. v. e. v.* i.e. ut multis vocabulis multas litteras communes esse videmus. **202.** *v. v. v.* Haec series verborum, quorum prima syllaba eadem est, indicat saeculorum volventium seriem.

esse videlicet in terris primordia rerum,
quae nos fecundas vertentes vomere glebas
terraique solum subigentes cimus ad ortus:
quod si nulla forent, nostro sine quaeque labore
sponte sua multo fieri meliora videres.
Huc accedit uti quicque in sua corpora rursum **nil ad nilum.**
dissoluat natura neque ad nilum interemat res.
nam siquid mortale e cunctis partibus esset, **arg. 1.**
ex oculis res quaeque repente erepta periret:
nulla vi foret usus enim, quae partibus eius
discidium parere et nexus exsolvere posset.
quod nunc, aeterno quia constant semine quaeque,
donec vis obiit, quae res diverberet ictu
aut intus penetret per inania dissoluatque,
nullius exitium patitur natura videri.
praeterea quae cumque vetustate amovet aetas, **2.**
si penitus peremit consumens materiem omnem,
unde animale genus generatim in lumina vitae
redducit Venus, aut redductum daedala tellus
unde alit atque auget generatim pabula praebens?
unde mare ingenuei fontes externaque longe

---

210. *videlicet* i.e. videre licet. **212.** *cimus* exstat apud Luc. hic et 5, 211; ceteris locis verbum simplex apud eum est *ciere.* **216.** *interemere* rectius scribitur quam *interimere.* Sic 2. 1002 *interemit;* 1, 226 *peremit;* 5, 216 *peremunt.* Cfr. *neglegere* et *intellegere.* **217.** Ut in chori canticis ἡ ἀντιστροφή totidem numeris respondet τῇ στροφῇ, sic saepius apud Luc. altera pars alicuius loci totidem versibus continetur, quot pars prior; id quod primus vidit J. Woltjer. Huius argumenti (217—24) partes consistunt ex quaternis versibus (217—220, 221 *quod nunc*—224). Eodem modo formatum est argumentum quod est 238—49 [6 + *at nunc* 6]. **219.** *foret usus* i.e. f. opus. **222.** *obiit* i.e. incurrit, ut 243. **224.** *nullius* sc. rei (212), nisi genetivus est vocis *nihil,* ut 1, 960. — *videri,* ut φαίνεσθαι, interdum significat *esse.* **228.** *redducere.* Eodem modo *reccidere* apud Luc. aliosque scriptores. Cfr. *reddere.* **230.** *ingenuei* i.e. in mari ipso orti; quales fontes esse antiqui putabant (cfr. 6, 613); contra *externa* i.e. adventicia. — Lucretium saepe *ei* pro *i* antiquo more scripsisse apparet ex iis locis, ubi codices diphthongum exhibent (h. l. et 3, 97 *oculei)* aut eius vestigia (3, 222, ubi correctum est *unguentei;* 4, 602 *vitrei;* 6, 1143 *omnei;* 6, 1251 *talei;* 5,38 *sei;* 6, 15 *cogei;* 6, 1217 *exeiret;*

flumina suppeditant? unde aether sidera pascit?
omnia enim debet, mortali corpore quae snnt,
infinita aetas consumpse ante acta diesque.
quod si in eo spatio atque ante acta aetate fuere
e quibus haec rerum consistit summa refecta,
inmortali sunt natura praedita certe.
haut igitur possunt ad nilum quaeque reverti.
denique res omnis eadem vis causaque volgo 3.
conficeret, nisi materies aeterna teneret,
inter se nexu minus aut magis indupedita:
tactus enim leti satis esset causa profecto;
quippe, ubi nulla forent aeterno corpore, quorum
contextum vis deberet dissolvere quaeque.
at nunc, inter se quia nexus principiorum
dissimiles constant aeternaque materies est,
incolumi remanent res corpore, dum satis acris
vis obeat pro textura cuiusque reperta.
haud igitur redit ad nilum res ulla, sed omnes
discidio redeunt in corpora materiai.
postremo pereunt imbres, ubi eos pater aether 4.
in gremium matris terrai praecipitavit:
at nitidae surgunt fruges, ramique virescunt
arboribus, crescunt ipsae fetuque gravantur:
hinc alitur porro nostrum genus atque ferarum:

6, 1221 *exeibant*). — *longe* i.e. ex longinquo. Verg. Aen. 10, 843 *adgnovit longe gemitum.* Cic. ad Att. 5, 2, 2 *cum Hortensius veniret.... tam longe.* **231.** *Suppeditare* ita ut significet *alere* usurpant Luc. (h. l. 2, 568. 1162) et semel Cic. Cat. 2, 25 *quibus rebus nos suppeditamur.* — *aether sidera pascit.* Cfr. 5, 523—5. **233.** *consumpse* i.e. *consumpsisse.* Sic 3, 650 *abstraxe* [i.e. abstraxisse]; 5, 1159 *protraxe;* 1, 987 *confluxet* [i.e. confluxisset]. **238.** *volgo conficeret* i.e. penitus perimere soleret. Cfr. 2, 1002 sq. **242.** *nulla* i.e. nullae res. **246** sq. *vis reperta satis acris.* **249.** *discidio.* Cfr. ad 183. **250** sq. Cfr. 2, 991—8 et Verg. Georg. 2, 325 *Tum pater omnipotens fecundis imbribus aether Coniugis in gremium laetae descendit.* **253.** Huius hexametri partes, quae consistunt ex pedibus: $1^{1}/_{2}$, 2, $2^{1}/_{2}$, ipsae increscunt; id quod sensit Vergilius, qui hunc locum ita imitatus est Ecl. 10, 53 sq.: *tenerisque meos incidere amores Arboribus; crescent illae, crescetis amores.*

hinc laetas urbes pueris florere videmus,
frondiferasque novis avibus canere undique silvas:
hinc fessae pecudes pinguis per pabula laeta
corpora deponunt, et candens lacteus umor
uberibus manat distentis: hinc nova proles
artubus infirmis teneras lasciva per herbas
ludit lacte mero mentes perculsa novellas.
haud igitur penitus pereunt quae cumque videntur;
quando alid ex alio reficit natura, nec ullam
rem gigni patitur, nisi morte adiuta aliena.
Nunc age, res quoniam docui non posse creari corpora caeca.
de nilo neque item genitas ad nil revocari,
ne qua forte tamen coeptes diffidere dictis,
quod nequeunt oculis rerum primordia cerni,
accipe praeterea quae corpora tute necessest
confiteare esse in rebus nec posse videri.
principio venti vis verberat incita corpus arg. 1.
ingentisque ruit navis et nubila differt;

---

256. *videmus canere.* Cfr. 4, 262. 598. Verg. Aen. 4, 490 *mugire videbis sub pedibus terram.* **257.** *pinguis.* Nominativus pluralis in *is* scriptus legitur apud Luc. (1, 808; 2, 577. 955; 4, 397 alibi) aliosque scriptores. Varro L.L. 66: „Sine reprehensione vulgo alii dicunt.... *hae puppis restis* et *hae puppes restes*" — Luc. duo adiectiva uno substantivo addere solet, si alterum saltem aut epitheton ornans est (ut h. l. 1, 313. 491. 947 i.q. 4, 22; 2, 8; 4, 624 alibi) aut pro genetivo positum est, ut 1, 258, 945 i.q. 4, 20; 5, 24. 663 alibi. **260.** Velius Longus grammaticus, qui vixit imperante Traiano: „nonulli.... varie modo per *u* modo per *i* scripserunt *artubus* et *artibus.*" Luc. scripsit semel *artibus* (5, 1077); ceteri loci, ubi *artubus* scriptum legitur, sunt 3, 7. 620. 644. 4, 632. **262.** *videntur* sc. perire. **263.** *alid* pro *aliud* et dativo *ali* antiquo scribendi more Luc. saepius utitur. **264.** Cfr. physicorum antiquorum dictum: ἡ θατέϱου φθοϱὰ θατέϱου ἐστὶ γένεσις. **267.** *forte* subst. **269.** *praeterea* coniungendum cum *esse.* **270.** *esse in rebus* i.e. in rerum numero esse, existere. **271.** Allitteratione venti vim exprimit poeta. — „Luc. verbis *verberandi* et *diverberandi* nihil aliud nisi non vehementem, vibrantem, crebrum motum denotat et aëra, auram, vibrantes luminis radios, alia eiusmodi subiecta adhibet." — *corpus* sc. nostrum, ut 2, 460. **271—6.** Poeta docet vim venti vulgo percipi in terra (*verberat corpus* nostrum 271), in mari (*ruit* i.e. impellit *naves* 272), in aëre (*nubila*

interdum rapido percurrens turbine campos
arboribus magnis sternit montisque supremos
silvifragis vexat flabris: ita perfurit acri
cum fremitu saevitque minaci murmure pontus.
sunt igitur venti, ni mirum, corpora caeca,
quae mare, quae terras, quae denique nubila caeli
verrunt ac subito vexantia turbine raptant,
nec ratione fluunt alia stragemque propagant,
et cum mollis aquae fertur natura repente
flumine abundanti, quom largis imbribus urget
montibus ex altis magnus decursus aquai,
fragmina coniciens silvarum arbustaque tota;
nec validi possunt pontes venientis aquai
vim subitam tolerare: ita magno turbidus imbri
molibus incurrit, validis cum viribus, amnis,
dat sonitu magno stragem, volvitque sub undis
grandia saxa, ruit qua quicquid fluctibus obstat.
sic igitur debent venti quoque flamina ferri,
quae vel uti validum cum flumen procubuere

---

differt 272), interdum autem saevire in terra (*campos arboribus sternit* 274 sq), in aëre (*montes supremos vexat* 275 sq.), in mari (ventus *perfurit acri cum fremitu et pontus saevit minaci murmure* 275 sq.) Cfr. v. 278. **277.** Donatus in scholiis suis, quae scripsit medio saeculo quarto, ad Terent. Eun. 508: „Solve *nimirum* et fac *non est mirum* .... nam *ni nê* significat et *ne non. ni* pro *ne* Vergilius [Aen. 3, 686, Luc. 2, 734; 3, 286 alii]. *ne* pro *non* Plautus: *nevult* inquit pro *non vult.*" — *corpora caeca* non cernuntur; quae cernuntur *aperto corpore* (297) sunt. **280.** *et* i.e. ac, quam vocem Lucretius Catullus Propertius Vergilius Ovidius non usurpant ante litteras *c, g, qu,* nisi interdum in particulis *simul ac* (6, 440). **281.** *aquae natura* i.e. aqua. **284.** *coniciens* i.e. una deiciens et promiscue correpta secum trahens. **287.** *molibus,* 289 *grandia saxa* sc. pontis. **288.** *dat* i.e. facit. Eodem modo Luc. dicit *dare sonitum, crepitum, fragorem, palam, pausam* [i.e. cessare], *discessum* [i.e. discedere], *motus* [i.e. aut motus facere alicui, movere, 1, 819, aut motus facere sibi, moveri 2, 311] *ruinas* [i.e. aut caedere 5, 1329, aut cadere 2, 1145; 5, 347]. **289.** *qua quicquid fluctibus obstat,* [id] *ruit amnis.* — Discernenda sunt *quicquid* (qua forma antiquiores scriptores interdum utuntur pro *quicque*) et *quidquid,* quod relationem notat; ita *quicque* et *quidque* [i.e. et quid]. Semper scribendum est *quicquam.* — *ruere* apud poetas interdum transitivam habet vim, ut v. 272 et 292.

quam libet in partem, trudunt res ante ruuntque
impetibus crebris, interdum vertice torto
corripiunt rapideque rotanti turbine portant.
quare etiam atque etiam sunt venti corpora caeca,
quandoquidem factis et moribus aemula magnis
amnibus inveniuntur, aperto corpore qui sunt.
tum porro varios rerum sentimus odores, 2.
nec tamen ad naris venientis cernimus umquam,
nec calidos aestus tuimur, nec frigora quimus
usurpare oculis, nec voces cernere suemus;
quae tamen omnia corporea constare necessest
natura, quoniam sensus inpellere possunt:
tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res.
denique fluctifrago suspensae in litore vestes 3.
uvescunt, eaedem dispansae in sole serescunt.
at neque quo pacto persederit umor aquai
visumst, nec rursum quo pacto fugerit aestu.
in parvas igitur partis dispergitur umor,
quas oculi nulla possunt ratione videre.
quin etiam multis solis redeuntibus annis 4.
anulus in digito subter tenuatur habendo,
stilicidi casus lapidem cavat, uncus aratri
ferreus occulte decrescit vomer in arvis,
strataque iam volgi pedibus detrita viarum
saxea conspicimus; tum, portas propter, aëna

---

295. *e. a. e.* i.e. iterum idem dico. **300.** Antiquiores scriptores interdum declinant verbum tuendi secundum tertiam coniugationem. **301.** *usurpare* i.e. percipere. **306.** *eaedem* est duarum syllabarum, ut interdum *eodem* et *eâdem,* semper *idem* (plur.) et *isdem.* — Nonius grammaticus, qui vixit saeculo tertio p.Chr.n., hoc versu laudato haec dicit: „*Serescit* pro *siccatur,* quod serenitas sicca sit. Inde Verg. docte Georg. 1 (461) *unde serenas ventus agat nubes.*" Cfr. Georg. 3,197 *arida differt nubila.* **311.** *solis annis.* M. Terentius Varro, doctissimus ille aequalis Ciceronis, scribit de l.l. 6,8: „tempus a bruma ad brumam, dum sol redit, vocatur annus, quod ut parvi circuli anuli, sic magni dicebantur circites ani, unde annus." **315.** *strata viarum* i.e. stratas vias. Eodem modo Luc. dicit *clausa domorum, vera viai, caerula caeli, rogorum extructa* cet.

signa manus dextras ostendunt adtenuari
saepe salutantum tactu praeterque meantum.
haec igitur minui, cum sint detrita, videmus:
sed quae corpora decedant in tempore quoque,
invida praeclusit speciem natura videndi.
postremo quaecumque dies naturaque rebus
paulatim tribuit, moderatim crescere cogens,
nulla potest oculorum acies contenta tueri;
nec porro quaecumque aevo macieque senescunt,
nec, mare quae inpendent, vesco sale saxa peresa
quid quoque amittant in tempore cernere possis.
corporibus caecis igitur natura gerit res.

praeter corpora est inane.

Nec tamen undique corporea stipata tenentur
omnia natura: namque est in rebus inane.
quod tibi cognosse in multis erit utile rebus,
nec sinet errantem dubitare et quaerere semper
de summa rerum et nostris diffidere dictis.
quapropter locus est intactus inane vacansque.
quod si non esset, nulla ratione moveri **arg. 1**
res possent; namque officium quod corporis exstat,
officere atque obstare, id in omni tempore adesset
omnibus; haud igitur quicquam procedere posset,
principium quoniam cedendi nulla daret res.
at nunc per maria ac terras sublimaque caeli
multa modis multis varia ratione moveri

---

321. *Species* est sensus videndi, ut 4,236.242; 5,707.724. *Speciem videndi* idem abundans dicendi genus est ac *stilicidi casus* (313). Cfr. Cic. de fin. 1,33, Brut. 189, ad Att. 4,18,3 *eligendi optio.* **322—7.** Attende ad versuum bis ternorum aequabilitatem. **324.** *acies.* Cic. Nat. Deor. 2,142 *acies ipsa qua cernimus, quae pupula vocatur.* — *contenta.* Cfr. 4,809. **326.** *impendere, incidere* (4,568), *accidere* (5,609) cum accusativo non iunguntur nisi a poetis et qui eos imitantur scriptoribus et id perraro. — *vesco* i.e. edaci. **329.** *corporea natura* i.e. corpore. Cfr. ad v. 281. **330.** Cfr. ad 270. **334.** *intactus* i.e. intactilis, 437. **336** sq. Cfr. Cic. pro S. Rosc. 112 *cur mihi te offers ac meis commodis officio simulato officis et obstas?* **340.** Adiectivorum quae sunt *sublimus hilarus inermus* Luc. non nisi secundae declinationis formis utitur. Praeterea scribit *sterila* 2,845. Adverbii autem *sublime* ultimam syllabam corripit.

cernimus ante oculos; quae, si non esset inane,
non tam sollicito motu privata carerent
quam genita omnino nulla ratione fuissent,
undique materies quoniam stipata quiesset.
praeterea quamvis solidae res esse putentur, 2.
hinc tamen esse licet raro cum corpore cernas:
in saxis ac speluncis permanat aquarum
liquidus umor et uberibus flent omnia guttis;
dissipat in corpus sese cibus omne animantum;
crescunt arbusta et fetus in tempore fundunt,
quod cibus in totas usque ab radicibus imis,
per truncos ac per ramos diffunditur omnis;
inter saepta meant voces et clausa domorum
transvolitant, rigidum permanat frigus ad ossa.
quod nisi inania sint, qua possent corpora quaeque
transire, haud ulla ratione valere videres.
denique cur alias aliis praestare videmus 3.
pondere res rebus nilo maiore figura?
nam si tantundemst in lanae glomere quantum
corporis in plumbo est, tantundem pendere par est;
corporis officiumst quoniam premere omnia deorsum,
contra autem natura manet sine pondere inanis.
ergo quod magnumst aeque leviusque videtur,
nimirum, plus esse sibi declarat inanis:
at contra gravius plus in se corporis esse
dedicat et multo vacui minus intus habere.
est igitur, nimirum, id quod ratione sagaci
quaerimus, admixtum rebus, quod inane vocamus.
Illud in his rebus ne te deducere vero 4.
possit, quod quidam fingunt, praecurrere cogor.

---

352. *totas* sc. radices. **357.** *valere* sc. corpora transire. **361.** *par est* i.e. aequum est, necesse est. **363.** *natura inanis* (gen.) i.e. inane, τὸ κενόν. Cfr. ad v. 281. **367.** *dedicat* i.e. indicat, declarat. **370.** *illud* est subiectum verbi *possit* et obiectum verbi *praecurrere*. **371.** *quidam* sc. Peripatetici. Idem fere docet Cic. Acad. 2,40 et Senec. Nat. Q. 2,7.

cedere squamigeris latices nitentibus aiunt
et liquidas aperire vias, quia post loca pisces
linquant, quo possint cedentes confluere undae:
sic alias quoque res inter se posse moveri
et mutare locum, quamvis sint omnia plena.
scilicet, id falsa totum ratione receptumst.
nam quo squamigeri poterunt procedere tandem,
ni spatium dederint latices? concedere porro
quo poterunt undae, cum pisces ire nequibunt?
aut igitur motu privandumst corpora quaeque,
aut esse admixtum dicundumst rebus inane,
unde initum primum capiat res quaeque movendi.
postremo duo de concursu corpora lata 5.
si cita dissiliant, nempe aër omne necessest,
inter corpora quod fiat, possidat inane:
is porro quamvis circum celerantibus auris
confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
compleri spatium: nam primum quemque necessest
occupet ille locum, deinde omnia possideantur.
quod si forte aliquis, cum corpora dissiluere,
tum putat id fieri quia se condenseat aër,
errat: nam vacuum tum fit quod non fuit ante,
et repletur item vacuum quod constitit ante,
nec tali ratione potest denserier aër,
nec, si iam posset, sine inani posset, opinor,
ipse in se trahere et partis conducere in unum.

---

377. *totus* i.e. prorsus, ut 3,690; 4,1088 et saepius in Ciceronis epistulis, veluti ad Att. 9,10,3 *alia res nunc tota est.* Eodem modo *omnis* 2,53 sign. omnino. **383.** *initus* pro *initium*, quod in hexametrum non quadrat, non nisi apud Luc. legitur (2,269; 3,271). **384.** *de* i.e. ex, post. cfr. 5,651; 6,290, Cic. Att. 12,3 *statim de auctione.* — *lata* et plana sc. **392.** *id* sc. omnia possideri (390). — *condenseat* coniunctiv. orat. obliquae, ut *linquant* 374. **394.** *vacuum quod constitit* post corpora, quae celeriter concurrentia aer cursu aequare non potuisset. **395.** *t. r.* sc. ut adversarii existimant. **396.** „*iam* particula in concedendo sic additur, ut significemus nos omissis iis, quae aliter dici statuive possint, eo procedere, ut hoc esse ponamus". **397.** *trahere* i.e. se contrahere, ut 6,1190. Significat contrahere 3,534 et 6,967.

Qua propter, quamvis causando multa moreris,
esse in rebus inane tamen fateare necessest.
multaque praeterea tibi possum commemorando
argumenta fidem dictis conradere nostris.
verum animo satis haec vestigia parva sagaci
sunt, per quae possis cognoscere cetera tute:
namque canes ut montivagae persaepe ferai
naribus inveniunt intectas fronde quietes,
cum semel institerunt vestigia certa viai,
sic alid ex alio per te tute ipse videre
talibus in rebus poteris caecasque latebras
insinuare omnis et verum protrahere inde.
quod si pigraris paulumve recesseris ab re,
hoc tibi de plano possum promittere, Memmi:
usque adeo largos haustus e fontibu' magnis
lingua meo suavis diti de pectore fundet,
ut verear ne tarda prius per membra senectus
serpat et in nobis vitai claustra resolvat,
quam tibi de quavis una re versibus omnis
argumentorum sit copia missa per auris.
Sed nunc ut repetam coeptum pertexe redictis, tertia natura non est.
omnis ut est igitur per se natura duabus
constitit in rebus: nam corpora sunt, et inane,
haec in quo sita sunt et qua diversa moventur.

---

402. Vocibus *vestigia* et *saguci* iam significat poeta id simile, quod v. 404 sqq. illustraturus est. **404.** *montivagae* coniungendum est cum *ferai*. Cfr. 2,597 et 1081, Soph. Phil. 943 *ϑῆρ᾽ ὀρειβάτην*. **405.** *quietes* non nisi h.l. sign. cubilia. **410.** *pigrare* [i.e. pigrum esse] perraro apud scriptores antiquiores legitur. Cic. utitur verbo *pigrari* ad Att. 14,1,2. — *r. ab r.* i.e. animum non attenderis. **411.** *de plano* i.e. missis ambagibus, statim. *De plano, e plano, ex aequo loco* praetores diiudicabant lites et controversias faciles et explicatas; difficiles autem atque implicatas e loco superiore atque e tribunali. Leges, edicta cet. proponebantur in publico „unde de plano recte legi possent." **419.** *ut est per se.* Corpora et inane sunt per se; *coniuncta* autem et *eventa* (449 sqq.) sunt, sed non sunt per sc. Natura per se i.e. **ἡ καϑ᾽ ἑαυτὴν φύσις.** **421.** Epic. ad Herod. 39: *σώματα μὲν γὰρ* **ὡς ἔστιν,** *αὐτὴ ἡ αἴσϑησις ἐπὶ πάντων μαρτυρεῖ.*

corpus enim per se communis dedicat esse arg. 1.
sensus; cui nisi prima fides fundata valebit,
haut erit occultis de rebus quo referentes
confirmare animi quicquam ratione queamus.
tum porro locus ac spatium, quod inane vocamus, 2.
si nullum foret, haut usquam sita corpora possent
esse neque omnino quoquam diversa meare;
id quod iam supera tibi paulo ostendimus ante.
praeter ea nil est quod possis dicere ab omni 3.
corpore seiunctum secretumque esse ab inani,
quod quasi tertia sit numero natura reperta.
nam quodcumque erit, esse aliquid debebit id ipsum
augmine vel grandi vel parvo denique, dum sit;
cui si tactus erit quamvis levis exiguusque,
corporis augebit numerum summamque sequetur:
sin intactile erit, nulla de parte quod ullam
rem prohibere queat per se transeire meantem,
scilicet, hoc id erit, vacuum quod inane vocamus.
praeterea per se quodcumque erit, aut faciet quid 4.
aut aliis fungi debebit agentibus ipsum,
aut erit ut possint in eo res esse gerique:
at facere et fungi sine corpore nulla potest res,
nec praebere locum porro nisi inane vacansque.
ergo, praeter inane et corpora, tertia per se
nulla potest rerum in numero natura relinqui,

---

423. *cui fides* sc. adhibita. **426** sqq. Epic. ad Herod. 40: *εἰ μὴ ἦν, ὃ κενὸν καὶ χώραν καὶ ἀναφῆ φύσιν ὀνομάζομεν, οὐκ ἂν εἶχε τὰ σώματα ὅπου ἦν οὐδὲ δι᾽ οὗ ἐκινεῖτο, καθάπερ φαίνεται κινούμενα.* **429.** *supra* v. 335 sqq. **433.** *ipsum est aliquid* i.e. est per se. **434.** *augmine* i.e. quantitate, magnitudine, ut 3,268. Idem valet *auctus* 2,482; 5,1171; 6,168. Nomina, quae sunt *augmen, adaugmen, momen, glomeramen, frustramen* 4,817, *vexamen, clinamen* non nisi apud Luc. eiusque imitatores leguntur. — *dum* i.e. dummodo. **435.** *cui si tactus erit* i.e. quod si tangere et tangi poterit. **437.** *intactilis* i.e. ἀναφής Epicuri. **441.** *fungi* i.e. pati, *πάσχειν*, ut 443. Cfr. Epic. ad Herod. 67: *τὸ κενὸν οὔτε ποιῆσαι οὔτε παθεῖν δύναται, ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι᾽ ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχεται.*

nec quae sub sensus cadat ullo tempore nostros,
nec ratione animi quam quisquam possit apisci.
Nam quaecumque cluent, aut his coniuncta duabus 5.
rebus ea invenies aut harum eventa videbis.
coniunctum est id quod nusquam sine permitiali
discidio potis est seiungi seque gregari;
pondus uti saxis, calor ignist, liquor aquai,
tactus corporibus cunctis, intactus inani.
servitium contra, paupertas, divitiaeque,
libertas, bellum, concordia, cetera quorum
adventu manet incolumis natura abituque,
haec soliti sumus, ut par est, eventa vocare.
tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
consequitur sensus, transactum quid sit in aevo,
tum quae res instet, quid porro deinde sequatur:
nec per se quemquam tempus sentire fatendumst
semotum ab rerum motu placidaque quiete.
denique Tyndaridem raptam belloque subactas
Troiiugenas gentis cum dicunt esse, videndumst

---

447 sq. i.e. οὔτ᾽ αἰσθητὸν οὔτε νοητόν. **448.** *apisci* i.e. adipisci. Hoc verbum praeterea legitur 6,1235 et 5,808 *apti* i.e. adepti. **449.** *quaecumque cluent* [i.e. dicuntur] sc. esse praeter inane et corpora, id quod ex antecedentibus sumendum est. Cfr. ad 480. — *coniuncta* i.e. συμβεβηκότα, eventa i.e. συμπτώματα Ep. **451.** *nusquam* i.e. omnino non. Cfr. Verg. Aen. 5,853 *clavumque affixus et haerens nusquam amittebat.* — *permities* i.e. pernicies. Donatus: „per immutationem litterae ut *olli* pro *illi*, syllabae ut *permities* pro *pernicies*." **452.** *seque gregari.* Poeta interdum tmesi utitur, ut in vocibus ipsis discidium et distractio appareat, veluti 651 *disque supatis*, 5,299 *inter quasi rupta*, 5,287 *inter quasi rumpere*, 5,1374 *inter plaga currere*, 3,859 *inter enim iectast.* **454.** Etiam inter exempla coniunctorum, quae protulit Epicurus, erant ἡ ἀντιτυπία μὲν τοῦ σώματος, εἶξις δὲ τοῦ κενοῦ — *intactus.* Participialia cum *in* negativo coniuncta non nisi sextum casum recipere solent: *iniussu*, *incultu* etc. Ut tamen hic Luc. primo casu usus est, sic quarto Liv. 42,12,7 *honores desertos per incultum et negligentiam.* **455** sqq. Anacoluthon eiusdem generis ac h. l., ubi nominativus excipitur accusativo, legimus apud Cic. de fin. 3,11: *ceterae disciplinae . . . eas.* **461.** Cfr. ad Herenn. 2,5: *tempora tria: praeteritum, instans, consequens.* **465.** *Troiiugenas*, 476 *Troiianis*, 477 *Graiiugenarum.* Quint. 1,4,11: „sciat etiam Ciceroni

ne forte haec per se cogant nos esse fateri,
quando ea saecla hominum, quorum haec eventa fuerunt,
inrevocabilis abstulerit iam praeterita aetas:
namque viris aliut, aliut regionibus ipsis
eventum dici poterit quodcumque erit actum.
denique materies si rerum nulla fuisset,
nec locus ac spatium, res in quo quaeque geruntur,
numquam Tyndaridis formae conflatus amore
ignis, Alexandri Phrygio sub pectore gliscens,
clara accendisset saevi certamina belli,
nec clam durateus Troiianis Pergama partu
inflammasset equos nocturno Graiiugenarum;
perspicere ut possis res gestas funditus omnis
non ita uti corpus per se constare neque esse,
nec ratione cluere eadem qua constet inane,
sed magis ut merito possis eventa vocare
corporis, atque loci, res in quo quaeque gerantur.

primordia sunt solida atque aeterna.

Corpora sunt porro partim primordia rerum,
partim concilio quae constant principiorum.
sed quae sunt rerum primordia, nulla potest vis
stinguere: nam solido vincunt ea corpore demum.
etsi difficile esse videtur credere quicquam
in rebus solido reperiri corpore posse.
transit enim fulmen caeli per saepta domorum
clamor ut ac voces, ferrum candescit in igni,
dissiliuntque fero ferventi saxa vapore:

---

placuisse aiio Maiiamque geminata *i* scribere." Ea antiquior scriptura et manuscriptis et inscriptionibus nobis tradita est. **468.** *abstulerit* coniunctivus orationis obliquae. **469.** *aliut.* Littera *t* interdum syllabam producit, ut 2,27 *fulget* et 5,1049 *sciret.* **476.** *durateus* i.e. *δουράτεος.* Odys. 8,492 *ἵππου κόσμον ἄεισον δουρατέου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ.* — *clam Troiianis.* **477.** *equos* i.e. equus. **480.** *cluere* i.e. dici sc. constare. — *eadem* est duarum syllabarum; cfr. ad 306. **483** sq. Epic. ad. Herod. 40 *τῶν σωμάτων τὰ μέν ἐστι συγκρίσεις, τὰ δ᾽ ἐξ ὧν αἱ συγκρίσεις πεποίηνται.* **490.** *ut* sc. tam volubiliter ac sine labore. **491.** *vapor* apud Luc. semper sign. calorem; quem materiam esse docet, sc. calidum vaporem. Cfr. 3,339—43. 6,858.876.

tum labefactatus rigor auri solvitur aestu:
tum glacies aeris flamma devicta liquescit,
permanat calor argentum penetraleque frigus,
quando utrumque manu retinentes pocula rite
sensimus infuso lympharum rore superne.
usque adeo in rebus solidi nil esse videtur.
sed quia vera tamen ratio naturaque rerum
cogit, ades, paucis dum versibus expediamus
esse ea quae solido atque aeterno corpore constent,
semina quae rerum primordiaque esse docemus,
unde omnis rerum nunc constet summa creata.
Principio quoniam duplex natura duarum arg. 1.
dissimilis rerum longe constare repertast,
corporis, atque loci, res in quo quaeque geruntur,
esse utramque sibi per se puramque necessest.
nam quacumque vacat spatium, quod inane vocamus,
corpus ea non est: qua porro cumque tenet se
corpus, ea vacuum nequaquam constat inane.
sunt igitur solida ac sine inani corpora prima.
praeterea quoniam genitis in rebus inanest, 2.
materiem circum solidam constare necessest:
nec res ulla potest vera ratione probari
corpore inane suo celare atque intus habere,
si non, quod cohibet, solidum constare relinquas:
id porro nil esse potest nisi materiai
concilium, quod inane queat rerum cohibere.
materies igitur, solido quae corpore constat,

---

493. *glacies aeris.* Eiusdem fere modi metaphora utitur Martialis 1,49,12, qui de Salone vel Bilbili flumine dicit *qui ferrum gelat,* i.e. qui ferrum, quod fluvio tingitur, acrius reddit (Justin. 44, 3). **494** sqq. Calor et frigus permanant argentum; utrumque enim sensimus (aor. gnomicus). **498.** *ratio naturaque* est *ἓν διὰ δυοῖν:* r. naturae. **499.** *adesse* poetae interdum dicunt pro eo, quod est *adesse animo, animis.* **500.** Primordia sunt aeterna, sc. et **ἀγένητα** et **ἀδιάφθαρτα.** **515.** *relinquere* apud Luc. saepius sign. *concedere,* veluti 658. 743. **517.** *inane rerum* i.e. inane quod est in rebus.

esse aeterna potest, cum cetera dissoluantur.
tum porro si nil esset quod inane vocaret, 3
omne foret solidum: nisi contra corpora certa
essent, quae loca complerent quaecumque tenerent,
omne quod est spatium vacuum constaret inane.
alternis igitur nimirum corpus inani
distinctumst, quoniam nec plenum naviter extat
nec porro vacuum; sunt ergo corpora certa,
quae spatium plenum possint distinguere inani.
haec neque dissolui plagis extrinsecus icta
possunt nec porro penitus penetrata retexi,
nec ratione queunt alia temptata labare;
id quod iam supra tibi paulo ostendimus ante.
nam neque conlidi sine inani posse videtur
quicquam nec frangi nec findi in bina secando,
nec capere umorem neque item manabile frigus
nec penetralem ignem, quibus omnia conficiuntur:
et quo quaeque magis cohibet res intus inane,
tam magis his rebus penitus temptata labascit.

---

519. *potest.* Postquam poeta probavit materiem solidam esse, recte concludit eam igitur talem esse, ut in aeternum manere *possit.* Deinde proximo argumento demonstrat id, quod inane non habeat, dissolvi non posse, recteque tunc demum concludit primordia aeterna sint *necesse esse.* **520.** *vocare vocuus vocivus vocatio* antiquiores scribebant pro *vacare* etc. In inscriptionibus *a* non legitur ante Domitiani tempora. **522.** *quaecumque* (loca) est obiectum. **525.** *distinguere* est variare. Ut hoc loco corpus inani distingui dicitur, sic 527 spatium inane spatio pleno. — *naviter* sign. 1. acriter, strenue (pugnare) 2. plane, prorsus, universe. — *exstat* sc. inane. **527.** Sunt corpora, quae spatium complent; non tamen totum spatium; sed ita, ut plenum varietur ac distinguatur inani. — *inane* apud Luc. semper substantivum (**τὸ κενόν**) esse videtur. **531.** *supra.* 215 sqq. ostendit Luc. nihil ad nihilum reduci, sed primordia aeterna esse neque igitur sic uti res ictu diverberari (i.e. dissolvi plagis extrinsecus icta 528, quod fit collidendo, frangendo, findendo 532 sq.) aut vim per eorum inania penetrare (i.e. penetrata retexi 529, quod fit umore, frigore, igni 534 sq.). Nunc tandem, postquam inde a versu 503 demonstravit in primordiis inania non esse, explicare potest 532—9 id, quod antea ponendum erat, ne omnia ad nihilum redirent. Id, quod v. 215 sqq. ideo verum esse dicebatur, quia contrarium absurdum esset, hic explicatione atque ratione addita verum esse apparet.

ergo si solida ac sine inani corpora prima
sunt ita uti docui, sint haec aeterna necessest.
Praeterea nisi materies aeterna fuisset, 4.
antehac ad nilum penitus res quaeque redissent,
de niloque renata forent quaecumque videmus.
at quoniam supra docui nil posse creari
de nilo neque quod genitum est ad nil revocari,
esse immortali primordia corpore debent,
dissolui quo quaeque supremo tempore possint,
materies ut subpeditet rebus reparandis.
sunt igitur solida primordia simplicitate,
nec ratione queunt alia servata per aevom
ex infinito iam tempore res reparare.
denique si nullam finem natura parasset 5.
frangendis rebus, iam corpora materiai
usque redacta forent aevo frangente priore,
ut nil ex illis a certo tempore posset
conceptum summae aetatis pervadere fine.
nam quidvis citius dissolvi posse videmus
quam rursus refici; quapropter longa diei
infinita aetas ante acti temporis omnis
quod fregisset adhuc disturbans dissoluensque,
numquam relicuo reparari tempore posset.
at nunc, nimirum, frangendi reddita finis
certa manet, quoniam refici rem quamque videmus
et finita simul generatim tempora rebus
stare, quibus possint aevi contingere florem.

---

543. *Supra:* 149 sqq. **548.** *solida simplicitas* abundanter, ut solet, Luc. dicit; cfr. 510 et 538 *solida ac sine inani. Simplex* enim quod est, idem est *solidum;* nam solidum est, quod sine inani est; simplex est, quod constat una re atque igitur sine inani est. **555.** *summa aetas* i.e. ἀκμή, adulta aetas, ubi res nec crescit nec decrescit. — *fine* i.e. tenus, ut 4,627. **557.** *diei aetas* est i. q. aetas. Cfr. Gell. 9,14: „Ennius *dies* scripsit pro *diei* in hoc versu *postremo longinqua dies confecerit aetas*". **560.** *relicuus* apud Luc. et antiquiores scriptores semper est quattuor syllabarum. **563.** *generatim rebus* e.i. singulis rerum generibus.

Huc accedit uti, solidissima materiai 6
corpora cum constant, possint tamen omnia reddi
mollia quae fiunt, aër, aqua, terra, vapores,
quo pacto fiant et qua vi quaeque gerantur,
admixtum quoniam semel est in rebus inane:
at contra si mollia sint primordia rerum,
unde queant validi silices ferrumque creari
non poterit ratio reddi: nam funditus omnis
principio fundamenti natura carebit.
sunt igitur solida pollentia simplicitate,
quorum condenso magis omnia conciliatu
artari possunt validasque ostendere viris.
porro si nullast frangendis reddita finis 7
corporibus, tamen ex aeterno tempore quaeque
nunc etiam superare necessest corpora rebus,
quae nondum clueant ullo temptata periclo:
at quoniam fragili natura praedita constant,
discrepat aeternum tempus potuisse manere
innumerabilibus plagis vexata per aevom.
denique iam quoniam generatim reddita finis 8
crescendi rebus constat vitamque tenendi,
et quid quaeque queant per foedera naturai,
quid porro nequeant, sancitum quandoquidem extat,

---

566. *reddi* (sc. rationem) sign. explicari. Prorsus eodem modo Epicurus ad Her. 55: *βέλτιον τὰ κατὰ τὰ πάθη . . . ἀποδοθήσεται* i.e. explicabuntur. Cfr. 2,179. 5,197 *reddere.* 3,354 *adferet* sc. rationem. **568.** i. e. cum quo modo (mollia) creentur, tum qua vi quaeque fiant. Si corpora solida sunt, tam mollities quam rerum vis explicatur; sin mollia sunt, rerum vis explicari non potest. **569.** *semel* i.e. omnino, *nun einmal,* ut 1,406. Idem significat interdum *ἅπαξ*, veluti apud Plat. Polit. 257 c: *ταῦτ᾽, ὦ Θεόδωρε, ποιητέον, ἐπείπερ ἅπαξ γε ἐνεχειρήσαμεν.* **571.** *silice* sternebant Romani vias. **575.** *magis condenso.* **579.** *superare* i.e. superesse, ut 672.790. 2,751 atque passim apud optimos scriptores. **581.** *quoniam constant* i.e. si iam constent; fac, ut adversariorum fert opinio, ea constare. Idem sign. *quoniam* 2,790. 817. **582.** *discrepat* i.e. non convenit, haud consentaneum est. **587.** *sancitum* forma est rarissima.

nec commutatur quicquam, quin omnia constant
usque adeo, variae volucres ut in ordine cunctae
ostendant maculas generalis corpore inesse,
inmutabili' materiae quoque corpus habere
debent, nimirum: nam si primordia rerum
commutari aliqua possent ratione revicta,
incertum quoque iam constet quid possit oriri,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens,
nec totiens possent generatim saecla referre
naturam mores victum motusque parentum.
Tum porro quoniam est extremum quodque cacumen 9.
corporis illius, quod nostri cernere sensus
iam nequeunt, id, nimirum, sine partibus extat
et minima constat natura, nec fuit umquam
per se secretum neque posthac esse valebit,
alterius quoniamst ipsum pars primaque et una
inde aliae atque aliae similes ex ordine partes
agmine condenso naturam corporis explent:
quae quoniam per se nequeunt constare, necessest
haerere unde queant nulla ratione revelli.
sunt igitur solida primordia simplicitate,
quae minimis stipata cohaerent partibus arte,
non ex illarum conventu conciliata,
sed magis aeterna pollentia simplicitate,

---

588. *quin* i. e. quin etiam. Cfr. Cic. ad Q. fr. 1,3,10 *quin illud maereo*. **590.** *generalis* i. e. suas cuiusque generis proprias. **592.** *debent* sc. res (585). **597.** *referre* i. e. denuo generare. **599.** Sic iungas: *extremum quodque illius corporis* etc (i. e. atomi) *est acumen.* Cfr. 1,751 *quae cernere non quis Extremum quod habent, minimum consistere prorsum.* **601.** *id* sc. cacumen (599). **604.** *primaque et una* i. e. et ea prima quidem (i. e. infra quam nulla est, minima) et una (i. e. simplex). **605.** *ex ordine* i. e. alia iuxta aliam; ita sc. arte coniunctae, ut inane vacuum inter eas non sit. Pars igitur atomi est omnium rerum, quae cogitari possunt, minima sive minimum mathematicum; atomus ipsa est omnium rerum, quae exstant, minima sive minimum physicum. **612.** *magis* ut h. l. saepius apud Luc. sign. *potius*.

unde neque avelli quicquam neque deminui iam
concedit natura reservans semina rebus.
praeterea nisi erit minimum, parvissima quaeque 10.
corpora constabunt ex partibus infinitis;
quippe ubi dimidiae partis pars semper habebit
dimidiam partem, nec res praefiniet ulla.
ergo rerum inter summam minimamque quid escit?
nil erit ut distet: nam quamvis funditus omnis
summa sit infinita, tamen, parvissima quae sunt,
ex infinitis constabunt partibus aeque.
quod quoniam ratio reclamat vera negatque
credere posse animum, victus fateare necessest
esse ea quae nullis iam praedita partibus extent
et minima constent natura. quae quoniam sunt,
illa quoque esse tibi solida atque aeterna fatendum.
denique si minimas in partis cuncta resolvi 11.
cogere consuesset rerum natura creatrix,
iam nil ex illis eadem reparare valeret
propterea quia, quae nullis sunt partibus aucta,
non possunt ea quae debet genitalis habere
materies, varios conexus, pondera, plagas,
concursus, motus, per quae res quaeque geruntur.
Quapropter qui materiem rerum esse putarunt non ignis est rerum materies.

---

615. *minimum* sc. mathematicum. **618.** *praefiniet* i. e. cohibebit sc. divisionem. **619.** *escit* antiquius pro *erit.* **620.** *nil erit ut distet* i. e. nil distabit, nil intererit sc. inter eas. Cfr. 3,715 *haud erit ut possint.* **627.** *illa* sc. primordia, quae solida esse Luc. demonstrat. Hoc argumento nihil aliud demonstratur nisi partes minimas, ex quibus atomos constare proximo argumento Luc. docuit, revera esse. Iure igitur poeta conclusionem proximi argumenti huic addit. **628.** *minimas partes* i. e. atomi partes, minima mathematica. **629.** *creatrix.* Hoc epitheton h. l. non sine causa addidit poeta. **631.** *aucta* i. e. praedita, ut 3,626 et 5,723. **632.** *habere* iungas et cum *possunt* et cum *debet.* **633.** *Conexus conecto conixus coniveo conubium* sic scribenda sunt littera *n* non duplicata. **635.** *quapropter* referendum est ad totam demonstrationem de soliditate atomorum (483—634), quarum naturam dixit esse non mollem (565—73; cfr. imprimis v. 567), non fragilem, immutabilem (584 sqq.).

ignem atque ex igni summam consistere solo,
magno opere a vera lapsi ratione videntur.
Heraclitus init quorum dux proelia primus,
clarus ob obscuram linguam magis inter inanis
quamde gravis inter Graios, qui vera requirunt:
omnia enim stolidi magis admirantur amantque,
inversis quae sub verbis latitantia cernunt,
veraque constituunt quae belle tangere possunt
auris et lepido quae sunt fucata sonore.
  Nam cur tam variae res possent esse, requiro, arg. 1.
ex uno si sunt igni puroque creatae?
nil prodesset enim calidum denserier ignem
nec rarefieri, si partes ignis eandem
naturam quam totus habet super ignis haberent.
acrior ardor enim conductis partibus esset,
languidior porro disiectis disque supatis:
amplius hoc fieri nil est quod posse rearis
talibus in causis, nedum variantia rerum

---

636. *summam* sc. rerum (635). **637.** *lapsi videntur* i. e. *ἐσφαλμένοι φαίνονται.* **638.** Luc. imprimis Heracliti Ephesii, qui floruit c. a. 500 doctrinam impugnat, propterea quod Stoici Epicureorum adversarii eam sequebantur. **639.** Attendas ad ambiguitatem vocis *clarus,* quae et *facilem intellectu* et *nobilem* significat. **640.** *quamde* i. e. quam. Ennius quoque hac forma usus est. **642.** *inversa verba* i. e. *ἀλληγόριαι.* Quint. 8,6,44: „*ἀλληγόρια,* quam *inversionem* interpretantur, aliud verbis aliud sensu ostendit, etiam interim contrarium." Illud Cicero de Or. 2,261 dicit immutatam orationem aut (unius verbi) translationem; hoc inversionem verborum. Cic. de fin. 2,15 *Heraclitus cognomento qui σκοτεινός perhibetur, quia de natura nimis obscure memoravit.* Epicurus contra discipulum Herodotum docet haec § 38: *ἀνάγκη γὰρ τὸ πρῶτον ἐννόημα καθ' ἕκαστον φθόγγον βλέπεσθαι καὶ μηθὲν ἀποδείξεως προσδεῖσθαι* i. e. primum enim necesse est voce sua quamque notionem perspici neque explicatione indigere. **649.** *super* i. e. insuper, etiam, ut 3,672. 901; 5,763; 6,514. **653.** *causa* i. e. prima materia, *Urstoff,* *αἰτία.* — *variantia* pro varietas, *aegror* pro aegritudo, *maximitas* pro magnitudo, *pestilitas* pro pestilentia, *dispositura* pro dispositio, *differitas* pro differentia, *refutatus* pro refutatio, *emissus* pro emissio, *commutatus* pro commutatio, *opinatus* pro opinatio, *formatura* pro conformatio non leguntur nisi apud Luc.; partim quoque apud eius imitatorem Arnobium patrem ecclesiae, qui vixit tertio saeculo p. C. n. Etiam *satias* pro satietas est vox rarior.

tanta queat densis rarisque ex ignibus esse.
id quoque: si faciant admixtum rebus inane, 2.
denseri poterunt ignes rarique relinqui:
sed quia multa sibi cernunt contraria adesse
et fugitant in rebus inane relinquere purum,
ardua dum metuunt, amittunt vera viai,
nec rursum cernunt exempto rebus inani
omnia denseri fierique ex omnibus unum
corpus, nil ab se quod possit mittere raptim,
aestifer ignis uti lumen iacit atque vaporem,
ut videas non e stipatis partibus esse.
quod si forte alia credunt ratione potesse 3.
ignis in coetu stingui mutareque corpus,
scilicet, ex nulla facere id si parte reparcent,
occidet ad nilum, nimirum, funditus ardor
omnis et e nilo fient quaecumque creantur:
nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
proinde aliquit superare necesse est incolume ollis,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes
de niloque renata vigescat copia rerum.
nunc igitur quoniam certissima corpora quaedam
sunt, quae conservant naturam semper eandem,
quorum abitu aut aditu mutatoque ordine mutant
naturam res et convertunt corpora sese,
scire licet non esse haec ignea corpora rerum.
nil referret enim quaedam decedere, abire,

655, 658. *rebus* sc. genitis. Stoici enim non negabant *ἔξωθεν (τοῦ κόσμου) περικεχυμένον εἶναι τὸ κενὸν ἄπειρον ... ἐν δὲ τῷ κόσμῳ μηδὲν εἶναι κενόν* (Diog. Laert. 7,140). — *faciant* i. e. ponant, putent, ut 2,485 (fac); 3,878; 4,824. **665.** *potesse* legitur etiam 2,225 et 1010. Praetcrea scribit Luc. *pote, potis est, potissit.* **667.** *si* (ignes) *ex nulla parte id facere reparcent* (i. e. parcent, abstinebunt) i. e. si ignes prorsus restinguentur corpusque mutabunt. **672.** *ollis* sc. ignibus (666). **678.** *corpora* i. e. res. **679.** *corpora* i.e. primordia. **680** sq. Epic. ad Herod. 54:

atque alia adtribui, mutarique ordine quaedam,
si tamen ardoris naturam cuncta tenerent:
ignis enim foret omnimodis quodcumque crearent.
verum, ut opinor, itast: sunt quaedam corpora, quorum
concursus motus ordo positura figurae
efficiunt ignis, mutatoque ordine mutant
naturam, neque sunt igni simulata neque ulli
praeterea rei quae corpora mittere possit
sensibus et nostros adiectu tangere tactus.
dicere porro ignem res omnis esse, neque ullam 4.
rem veram in numero rerum constare nisi ignem,
quod facit hic idem, perdelirum esse videtur.
nam contra sensus ab sensibus ipse repugnat,
et labefactat eos, unde omnia credita pendent,
unde hic cognitus est ipsi quem nominat ignem:
credit enim sensus ignem cognoscere vere,
cetera non credit, quae nilo clara minus sunt.
quod mihi cum vanum tum delirum esse videtur:
quo referemus enim? quid nobis certius ipsis
sensibus esse potest, qui vera ac falsa notemus?
praeterea quare quisquam magis omnia tollat 5.
et velit ardoris naturam linquere solam,
quam neget esse ignis, quidvis tamen esse relinquat?
aequa videtur enim dementia dicere utrumque.
Quapropter qui materiem rerum esse putarunt **neque 4 minusve elementa.**
ignem atque ex igni summam consistere posse,

δεῖ τι ὑπομένειν .... ἀδιάλυτον, ὃ τὰς μεταβολὰς .... ποιήσεται.... κατὰ μεταθέσεις μὲν πολλῶν, τινῶν δὲ καὶ προσόδους καὶ ἀφόδους. **687.** *naturam* sc. rei. — *simulata* i. e. similia. Cfr. 4,363 et Cic. ad Att. 9,8,2 *Minervam simulatam Mentori.* **689.** „adicere est ita iacere, ut ad eum locum, quem iaculator petit, perveniat." Cfr. 4,673; 5,567. — *tactus* i. e. sensus. **693.** *contra .... ab.* Cic. de inv. 1,4 *a mendacio contra verum stare.* Cfr. ad 935. **700.** *qui* i. e. quo; referendum est ad *quid* (699). — Heraclitus contra: *διὰ των αἰσθήσεων γνῶσις ἀνθρώποισιν ἀγνωσίη.* **703.** *relinquere* i. e. concedere. **706.** *summam* sc. rerum i. e. omnes res.

et qui principium gignundis aëra rebus
constituere, aut umorem quicumque putarunt
fingere res ipsum per se, terramve creare
omnia et in rerum naturas vertier omnis,
magno opere a vero longe derrasse videntur.
adde etiam qui conduplicant primordia rerum,
aëra iungentes igni, terramque liquori,
et qui quattuor ex rebus posse omnia rentur
ex igni terra atque anima procrescere et imbri.
quorum Acragantinus cum primis Empedocles est,
insula quem triquetris terrarum gessit in oris,
quam fluitans circum magnis anfractibus aequor
Ionium glaucis aspargit virus ab undis,
angustoque fretu rapidum mare dividit undis
Italiae terrarum oras a finibus eius.

707—10. Milesii Thales, qui floruit c. a. 590, aquam, Anaximenes, qui floruit c. a. 550, aëra rebus primam esse materiam (principium, *ἀρχήν*) statuerunt; qui terram statuerit, nullum novimus et Aristoteles dicit se mirari, quod nemo terram statuerit primam esse materiam. Xenophanis enim versus *ἐκ γαίης γὰρ πάντα καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ* non de omnibus rebus, sed tantummodo de animalibus terrestribus dictus esse videtur; et Pherecydes, qui floruit c. a. 600, cuius versum *Ζεὺς μὲν καὶ Χρόνος ἐς ἀεὶ καὶ Χθὼν ἦν* Diogenes laudat 1,119, vix inter philosophos numerandus est. **711.** *derrasse* i. e. deerrasse. Cfr. *desse* i. e. deesse 1,43. **713.** *aëra et ignem* esse principia Oenopides Chius, qui floruit c. a. 500; *terram et aquam* statuisse dicitur Xenophanes, qui natus est c. a. 575, quamquam non omne quod est, sed eum tantummodo mundum ex iis creatum dicit, quem sensibus nostris cernamus. **715.** *anima* aëra sign. etiam 5,236, flatum venti 5,1230; 6,578. 693. 698. **716.** Lucretium in suo de rerum natura carmine carmen Empedoclis, quod inscribitur *περὶ φύσεως* saepius imitatum esse ex fragmentis, quae supersunt, apparet. Empedocles Agrigentinus, qui floruit c. a. 455, docuit quattuor elementa esse: aquam, terram, aëra, ignem; quae invicem *νεῖκος* seiungat, *φιλία* iungat. Ipse de se dixit *ἐγὼ δ' ὔμμιν* (sc. Agrigentinis) *θεὸς ἄμβροτος οὐκέτι θνητὸς Πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος, ὥσπερ ἔοικε.* **717.** *tr. in o.* Inde Sicilia olim Trinacria appellabatur atque in nummis nonnullis Siciliensibus, veluti in iis, quos Agathocles Syracusarum tyrannus fecit, impressum est caput humanum, cui tres pedes iuncti sunt. **720.** *a. f.* iun[illegible] tum.

hic est vasta Charybdis, et hic Aetnaea minantur
murmura flammarum rursum se colligere iras,
faucibus eruptos iterum vis ut vomat ignis
ad caelumque ferat flammarum fulgura rursum.
quae cum magna modis multis miranda videtur
gentibus humanis regio visendaque fertur,
rebus opima bonis, multa munita virum vi,
nil tamen hoc habuisse viro praeclarius in se
nec sanctum magis et mirum carumque videtur.
carmina quin etiam divini pectoris eius
vociferantur et exponunt praeclara reperta,
ut vix humana videatur stirpe creatus.
Hic tamen et supra quos diximus inferiores
partibus egregie multis multoque minores,
quamquam multa bene ac divinitus invenientes
ex adyto tamquam cordis responsa dedere
sanctius et multo certa ratione magis quam
Pythia quae tripodi a Phoebi lauroque profatur,
principiis tamen in rerum fecere ruinas

---

722. *vastus* cohaeret cum *vacuus, vacare;* proprie est i. q. desertus; Cfr. 6,1140 (pestilentia) *vastarit vias;* deinde sign. quod immane est, ut 6,681 *vastis Aetnae fornacibus* aut quod foedum vel triste est aspectu, ut 5,1290 *vulnera vasta.* — *murmura minantur* (i. e. minaciter indicant) *flammarum iras* (i. e. flammas iratas, saevas) *se* (referendum est ad iras) *rursum colligere.* **723—5.** Poeta litteris *m, u, f, a* iteratis imitatur murmur et flammarum eruptionem. **724.** Cfr. 6,701 sq. **728.** *m. m. v. v.* i. e. munita incolarum multitudine. **734.** *supra.* 705 sqq. **739.** Pythia responsa dedit sedens in tripode, qui, ut Pythia ipsa, laureis coronis ornatus erat. Callimachus (in Del. 94) Apollinem dicentem facit haec: ἀλλ᾽ ἔμπης ἐρέω τι τορώτερον ἢ ἀπὸ δάφνης. — *tripodi* est sextus casus, ut 2,416 Cilici, 3,132 Heliconi; „nam ablativi in Graecis vocabulis ut *i* breve respuunt, ita non modo *e* correptum sed etiam *i* longum admittunt. Quae apud Graecos dativum in *ει* mittunt, eorum ablativi produci solent," ut Ovid. Met. 10,608 *Hippomenê victo.* In Latinis vocabulis ablativi apud Luc. interdum *i* longam admittunt, veluti *parti* 1, 1111. **740.** *fecere ruinas* i. e. lapsi sunt. Hor. Sat. 2,8,54 *interea suspensa graves aulea ruinas In patinam fecere.* Metaphorice ut h. l. Cic. fin. 1,18 *illae Epicuri propriae ruinae* (i. e. lapsus, errores); 2,18 *ruit in dicendo;* de leg. 1,13,39 (Academia) *si invaserit in haec..... nimias edet ruinas.*

et graviter magni magno cecidere ibi casu:
primum quod motus exempto rebus inani
constituunt; et res mollis rarasque relinquont,
aëra, solem, ignem, terras, animalia, frugis,
nec tamen admiscent in eorum corpus inane;
deinde quod omnino finem non esse secandis
corporibus faciunt, neque pausam stare fragori,
nec prorsum in rebus minimum consistere quicquam;
cum videamus id extremum cuiusque cacumen
esse quod ad sensus nostros minimum esse videtur,
conicere ut possis ex hoc, quae cernere non quis
extremum quod habent, minimum consistere rerum.
huc accedit item, quoniam primordia rerum
mollia constituunt, quae nos nativa videmus
esse et mortali cum corpore, funditus utqui
debeat ad nilum iam rerum summa reverti
de niloque renata vigescere copia rerum;
quorum utrumque quid a vero iam distet habebis.
deinde inimica modis multis sunt atque veneno
ipsa sibi inter se; quare aut congressa peribunt,
aut ita diffugient ut tempestate coacta
fulmina diffugere atque imbris ventosque videmus.
  Denique quattuor ex rebus si cuncta creantur
atque in eas rursum res omnia dissoluuntur,
qui magis illa queunt rerum primordia dici
quam contra res illorum retroque putari?
alternis gignuntur enim mutantque colorem
et totam inter se naturam tempore ab omni.
sin ita forte putas ignis terraeque coire

---

751. *quae cernere non quis* i. e. atomi. **752.** *minimum* sc. minimas partes (atomorum). Cfr. ad 605. **755.** *utqui* i. e. ut. Illud *qui*, quod vi quadam affirmat, idem est in *atqui* et interdum in *hercle qui*, *edepol qui*, *at pol qui*, *ecastor qui*, *quippe qui*. **758.** *iam habebis* sc. cognitum ex v. 149 sqq. **761.** *tempestate coacta* i. e. nubibus coactis. Cfr. 6,511. **767.** *a. g.* sc. elementa et res ex iis creatae. **769.** i. q. 762.

corpus et aërias auras roremque liquoris,
nil in concilio naturam ut mutet eorum,
nulla tibi ex illis poterit res esse creata,
non animans, non exanimo cum corpore, ut arbos:
quippe suam quicque in coetu variantis acervi
naturam ostendet, mixtusque videbitur aër
cum terra simul atque ardor cum rore manere.
at primordia gignundis in rebus oportet
naturam clandestinam caecamque adhibere,
emineat ne quid, quod contra pugnet et obstet
quo minus esse queat proprie quodcumque creatur.
Quin etiam repetunt a caelo atque ignibus eius, 6.
et primum faciunt ignem se vertere in auras
aëris, hinc imbrem gigni, terramque creari
ex imbri, retroque a terra cuncta reverti,
umorem primum, post aëra, deinde calorem,
nec cessare haec inter se mutare, meare
a caelo ad terram, de terra ad sidera mundi.
quod facere haud ullo debent primordia pacto.
immutabile enim quiddam superare necessest,
ne res ad nilum redigantur funditus omnes:
nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
quapropter quoniam quae paulo diximus ante
in commutatum veniunt, constare necessest
ex aliis ea, quae nequeant convertier usquam,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
quin potius tali natura praedita quaedam
corpora constituas, ignem si forte crearint,
posse eadem, demptis paucis paucisque tributis,
ordine mutato et motu, facere aëris auras,

---

774. *e. c. c.* est substantivi loco; cfr. Ovid. Met. 1,21 *pugnabant....* sine pondere *habentia pondus;* Liv. 3,57 *non iuniores modo, sed* emeritis etiam stipendiis *praesto fuere.* **782.** *repetunt* (i. e. initium ducunt) Heraclitus atque eum secuti Stoici. **788.** *mundus* ut saepe, sign. caelum. **794.** *ante.* 787.

sic alias aliis rebus mutarier omnis?
'At manifesta palam res indicat' inquis 'in auras
aëris e terra res omnis crescere alique:
et nisi tempestas indulget tempore fausto
imbribus, ut tabe nimborum arbusta vacillent,
solque sua pro parte fovet tribuitque calorem,
crescere non possint fruges arbusta animantis.'
scilicet, et nisi nos cibus aridus et tener umor
adiuvet, amisso iam corpore vita quoque omnis
omnibus e nervis atque ossibus exsoluatur:
adiutamur enim dubio procul atque alimur nos
certis ab rebus, certis aliae atque aliae res.
nimirum, quia multa modis communia multis
multarum rerum in rebus primordia mixta
sunt, ideo variis variae res rebus aluntur.
atque eadem magni refert primordia saepe
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque:
namque eadem caelum mare terras flumina solem
constituunt, eadem fruges arbusta animantis,
verum aliis alioque modo commixta moventur.
quin etiam passim nostris in versibus ipsis
multa elementa vides multis communia verbis,
cum tamen inter se versus ac verba necessest
confiteare et re et sonitu distare sonanti.
tantum elementa queunt permutato ordine solo:
at rerum quae sunt primordia, plura adhibere
possunt unde queant variae res quaeque creari.
Nunc et Anaxagorae scrutemur homoeomerian **neque homoeomerian.**

---

802. *sic* i. e. et sic. **807.** *tabe nimborum* i. e. nubibus tabescentibus in pluviam. — *vacillare.* Cfr. 5,1096 *ventis pulsa vacillans arbor.* Vacillare sign. modo huc, modo illuc inclinari videturque deminutivum esse a *vagando;* Luc. 3,447 *nam velut infirmo pueri teneroque vagantur corpore;* Ennius: *arbores vento vagant.* **828.** *plura* i. e. non solum mutatum ordinem, sed etiam posituras, motus maioremque figurarum numerum. Cfr. 1,685. **830.** *et* i. e. etiam.

quam Grai memorant nec nostra dicere lingua
concedit nobis patrii sermonis egestas,
sed tamen ipsam rem facilest exponere verbis.
principio, rerum quam dicit homoeomerian,
ossa, videlicet, e pauxillis atque minutis
ossibus hic et de pauxillis atque minutis
visceribus viscus gigni sanguenque creari
sanguinis inter se multis coëuntibu' guttis
ex aurique putat micis consistere posse
aurum et de terris terram concrescere parvis,
ignibus ex ignis, umorem umoribus esse,
cetera consimili fingit ratione putatque.
nec tamen esse ulla idem ex parte in rebus inane arg. 1.
concedit, neque corporibus finem esse secandis.
quare in utraque mihi pariter ratione videtur
errare atque illi, supra quos diximus ante.
adde quod inbecilla nimis primordia fingit; 2.
si primordia sunt, simili quae praedita constant
natura atque ipsae res sunt, aequeque laborant
et pereunt, neque ab exitio res ulla refrenat.
nam quid in oppressu valido durabit eorum,
ut mortem effugiat, leti sub dentibus ipsis?
ignis, an umor, an aura? quid horum? sanguis an ossa?
nil, ut opinor, ubi ex aequo res funditus omnis
tam mortalis erit quam quae manifesta videmus
ex oculis nostris aliqua vi victa perire.
at neque reccidere ad nilum res posse neque autem
crescere de nilo testor res ante probatas.
praeterea quoniam cibus auget corpus alitque, 3.
scire licet nobis venas et sanguen et ossa

---

834. Durum anacoluthon (*quam dicit h... ossa putat gigni*) eo mitigatur, quod illud *putat* (839) tam longe ab hoc versu distat. **837.** *Viscus* Luc. numquam dicit exta, sed quidquid inter ossa et cutem vivi corporis est. *Caro* non legitur nisi 6,967 et 969 diciturque de eo, quod igni assatur vel coquitur in aqua. **841.** *ignibus ex ignis* i. e. ex ignibus ignes. **848.** *si primordia sunt* i. e. si quidem primordia recte dici possunt, quae....

et nervos alienigenis e partibus esse,
sive cibos omnis commixto corpore dicent
esse et habere in se nervorum corpora parva
ossaque et omnino venas partisque cruoris,
fiet uti cibus omnis, et aridus et liquor, ipse
ex alienigenis rebus constare putetur,
ossibus et nervis sanieque et sanguine mixtim.
praeterea quaecumque e terra corpora crescunt 4.
si sunt in terris, terram constare necessest
ex alienigenis, quae terris exoriuntur.
transfer item, totidem verbis utare licebit:
in lignis si flamma latet fumusque cinisque,
ex alienigenis consistant ligna necessest.
praeterea tellus quae corpora cumque alit, auget
ex alienigenis, quae alienigenis oriuntur.
Linquitur hic quaedam latitandi copia tenvis, 5.
id quod Anaxagoras sibi sumit, ut omnibus omnis
res putet inmixtas rebus latitare, sed illud
apparere unum, cuius sint plurima mixta
et magis in promptu primaque in fronte locata.
quod tamen a vera longe ratione repulsumst.
conveniebat enim fruges quoque saepe, minaci

860*b*. Hunc versum, qui deest in manuscriptis, de coniectura supplevit Lambinus, qui Lucretianum carmen edidit saeculo sexto decimo. Minus recte tamen scripsit *ex;* nam Luc. littera *S* praecedente semper scribit *e parte* vel *e partibus;* ante cetera vocabula, quae a littera *p* incipiunt, semper praepositionis forma *e* utitur. **863.** *omnino* i. e. ut omnes corporis partes referam; ne quid omittam; quin etiam. **865.** *alienigenum* et ὁμοιομερές inter se opponuntur. **866.** Aristot. Part. anim. 1,1: ἐστὶ δὲ τῶν ὁμοιομερῶν . . . ὑγρὰ μὲν, οἷον αἷμα, ἰχώρ (i. e. sanies, sanguis corruptus) . . . ξηρὰ δὲ καὶ στερεὰ, οἷον νεῦρον . . . ὀστοῦν. **870.** *transfer item* i. e. transfer eandem ratiocinationem similiter ad alia. **873.** *corpora* sc. animalium; quod apparet ex 1,228 *animale genus . . . tellus Unde* alit atque **auget** *generatim pabula praebens?* — Animalia aluntur ex alienigenis i. e. pabulo animalibus dissimili, quod oritur ex alienigenis i. e. terris pabulo dissimilibus. **875.** *Latitare* sign. se recipere ad refugium, eludere vel effugere adversarium; versu 877 est idem quod latere.

robore cum saxi franguntur, mittere signum
sanguinis aut aliquid, nostro quae corpore aluntur;
pabula cum lapidi terimus, manare cruorem
consimili ratione herbis quoque saepe decebat
et laticis dulcis guttas similique sapore
mittere, lanigerae quali sunt ubere lactis;
scilicet, et glebis terrarum saepe friatis
herbarum genera et fruges frondesque videri
dispertita inter terram latitare minute,
postremo in lignis cinerem fumumque videri,
cum praefracta forent, ignisque latere minutos.
quorum nil fieri quoniam manifesta docet res,
scire licet non esse in rebus res ita mixtas,
verum semina multimodis inmixta latere
multarum rerum in rebus communia debent.
'At saepe in magnis fit montibus' inquis 'ut altis
arboribus vicina cacumina summa terantur
inter se, validis facere id cogentibus austris,
donec flammai fulserunt flore coorto.'
scilicet, et non est lignis tamen insitus ignis,
verum semina sunt ardoris multa, terendo
quae cum confluxere, creant incendia silvis:
quod si facta foret silvis abscondita flamma,
non possent ullum tempus celarier ignes,
conficerent volgo silvas, arbusta cremarent.
iamne vides igitur, paulo quod diximus ante,
permagni referre eadem primordia saepe
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque,

---

884. *lapidi.* Sextus casus saepe admittit *i* longam. **885.** *herbis* i. e. ex herbis. **887.** *quali* (sapore) *sunt* (guttae) *lactis* (in) *ubere lanigerae.* **891.**sq. Lusus verborum esse videtur: *ignis* latet in *lignis.* Cfr. 901 et 912—14. **900.** *fl. fl.* Cfr. Hom. et Aeschyl. πυρὸς ἄνθος et 4,450 *lucernarum florentia lumina flammis.* **902.** *terendo* i. e. arboribus inter se terendis. **904.** *facta* i. e. parata. **907.** *ante.* 817 sqq.

atque eadem paulo inter se mutata creare
ignes et lignum? quo pacto verba quoque ipsa
inter se paulo mutatis sunt elementis,
cum ligna atque ignes distincta voce notemus.
denique iam quaecumque in rebus cernis apertis 6.
si fieri non posse putas, quin materiai
corpora consimili natura praedita fingas,
hac ratione tibi pereunt primordia rerum:
fiet uti risu tremulo concussa cachinnent
et lacrimis salsis umectent ora genasque.
Nunc age, quod super est cognosce et clarius audi. **omne et spatium sunt infinita.**
nec me animi fallit quam sint obscura: sed acri
percussit thyrso laudis spes magna meum cor
et simul incussit suavem mi in pectus amorem
musarum, quo nunc instinctus mente vigenti
avia Pieridum peragro loca nullius ante
trita solo. iuvat integros accedere fontis
atque haurire, iuvatque novos decerpere flores
insignemque meo capiti petere inde coronam,
unde prius nulli velarint tempora musae;
primum quod magnis doceo de rebus et artis
religionum animum nodis exsolvere pergo,
deinde quod obscura de re tam lucida pango
carmina, musaeo contingens cuncta lepore.
id quoque enim non ab nulla ratione videtur;
sed veluti pueris absinthia taetra medentes
cum dare conantur, prius oras, pocula circum,

---

914. i. e. quamquam voces, quae tam inter se similes sunt, quam *lignum* et *ignis*, ita distinguimus, ut diversas res iis notemus. **921.** *quod super est* i. e. quod reliquum est, quod restat. Hinc sumendum est subiectum verbi *sint* (922). — *clarius* et *obscura* inter se opponuntur. Cfr. 933. **922.** *animi.* Cfr. ad 136. **923.** *thyrso* metaphorice pro divino aculeo, stimulo. **924.** *mi* i. e. mihi. **927.** *solum* i. e. planta pedis. **934.** *contingens* i. e. tangens. **935.** *non ab nulla r.* i. e. non sine r. Cfr. stare, pugnare ab (i. e. cum). Mart. 3,50,5 *nulla cum ratione facis.* Cic. ad fam. 11,10,1 *a certo sensu et vero iudicas de nobis.* Luc. 1,693 *contra sensus ab sensibus repugnat.*

contingunt mellis dulci flavoque liquore,
ut puerorum aetas inprovida ludificetur
labrorum tenus, interea perpotet amarum
absinthi laticem, deceptaque non capiatur,
sed potius tali pacto recreata valescat,
sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur
tristior esse quibus non est tractata, retroque
volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti
carmine Pierio rationem exponere nostram
et quasi musaeo dulci contingere melle;
si tibi forte animum tali ratione tenere
versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
naturam rerum, qua constet compta figura.
Sed quoniam docui solidissima materiai
corpora perpetuo volitare invicta per aevom,
nunc age, summai quaedam sit finis eorum,
necne sit, evolvamus: item quod inane repertumst
seu locus ac spatium, res in quo quaeque gerantur,
pervideamus utrum finitum funditus omne
constet, an immensum pateat vasteque profundum.
Omne quod est igitur nulla regione viarum arg. 1.
finitumst: namque extremum debebat habere:
extremum porro nullius posse videtur
esse, nisi ultra sit quod finiat; ut videatur
quo non longius haec sensus natura sequatur.
nunc extra summam quoniam nil esse fatendum,
non habet extremum, caret ergo fine modoque.
nec refert quibus adsistas regionibus eius:

---

950. *comere* proprie sign. componere; sic h. l., 3,259; 4,27; cfr. 3,845 *comptu coniugioque.* Deinde dicitur de capillis, qui nectuntur; oppositum est *solvere.* Cfr. Tibul. 4,2,9 *seu solvit crines, fusis decet esse capillis; Seu compsit, comptis est veneranda comis.* **958.** Luc., cum post digressionem ad disputationem institutam redit, usurpat *igitur* (ut 1,419; 3,323) aut *ergo* (ut 5,1136) aut *itaque* (ut 3,106). **960.** *nullius* i. e. nullius rei. Cfr. ad 1,224. **961.** sq. i. e. ita ut sit aliquid, quo haec natura longius non sequatur nostros sensus, i. e. aliquid, quod sit ultra rerum naturae terminos.

usque adeo, quem quisque locum possedit, in omnis
tantundem partis infinitum omne relinquit.
praeterea si iam finitum constituatur 2.
omne quod est spatium, siquis procurrat ad oras
ultimus extremas iaciatque volatile telum,
id validis utrum contortum viribus ire
quo fuerit missum mavis longeque volare,
an prohibere aliquid censes obstareque posse?
alterutrum fatearis enim sumasque necessest.
quorum utrumque tibi effugium praecludit et omne
cogit ut exempta concedas fine patere.
nam sive est aliquit quod probeat officiatque
quo minu' quo missum est veniat finique locet se,
sive foras fertur, non est a fine profectum.
hoc pacto sequar atque, oras ubicumque locaris
extremas, quaeram quid telo denique fiat.
fiet uti nusquam possit consistere finis,
effugiumque fugae prolatet copia semper.
praeterea spatium summai totius omne 3.
undique si inclusum certis consisteret oris
finitumque foret, iam copia materiai
undique ponderibus solidis confluxet ad imum,
nec res ulla geri sub caeli tegmine posset,
nec foret omnino caelum neque lumina solis;
quippe ubi materies omnis cumulata iaceret
ex infinito iam tempore subsidendo.
at nunc, nimirum, requies data principiorum
corporibus nullast, quia nil est funditus imum,
quo quasi confluere et sedes ubi ponere possint.

---

968. *si iam.* Cfr. ad 396. **977.** *probeat* i. e. prohibeat, ut 3,863 *probet* i. e. prohibet. Contra Plautus dicit *praehibere* et *dehibere* pro *praebere* et *debere*. **978.** *fini* i. e. in fine, quo missum est; 979 *a fine* i. e. ab extremis naturae oris. **983.** i. e. copia, quae telo est volandi, semper mihi proferat effugium, sc. locum ubi finem non esse convincam. **987.** *confluxet* i. e. confluxisset. Cfr. ad 233. **991.** Versus spondiacus immotam quietem denotat. **992.** *nunc.* Cfr. ad 169.

semper in adsiduo motu res quaeque geruntur
partibus in cunctis, inferneque suppeditantur
ex infinito cita corpora materiai.
postremo ante oculos res rem finire videtur: 4.
aër dissaepit collis atque aëra montes,
terra mare et contra mare terras terminat omnis:
omne quidem vero nil est quod finiat extra.
est igitur natura loci spatiumque profundi,
quod neque clara suo percurrere fulmina cursu
perpetuo possint aevi labentia tractu
nec prorsum facere ut restet minus ire meando:
usque adeo passim patet ingens copia rebus,
finibus exemptis, in cunctas undique partis.
Ipsa modum porro sibi rerum summa parare materia infinita est.
ne possit, natura tenet, quae corpus inani
et quod inane autem est finiri corpore cogit,
ut sic alternis infinita omnia reddat,
aut etiam alterutrum, nisi terminet alterum, eorum
simplice natura pateat tamen inmoderatum

995—7. In versibus 984—97 perspicua est illa aequalitas, de qua scripsimus ad v. 217. Nempe primum bis quaternis versibus discimus, si omne finitum foret, atomos ad imum confluxuras fuisse [984—7] nec res geri posse in mundo [988—91]; deinde bis ternis versibus: at nunc atomis nullam requiem datam esse [992—4] et res geri [995—7]. Id igitur, quod v. 992—4 dicitur, referendum est ad 984—7; quod v. 995—7, ad 988—91. Qua re intellecta v. 995 sqq. ita explicandi sunt: res geruntur in cunctis mundi partibus, etiam in caelo; quod ut fieri possit, ex infinito spatio semper copia suppetit earum quoque atomorum, quae sursum cientur. **1002.** *Profundum* apud Luc. fere idem est quod immensum. Cfr. 1,957. 1108. **1005.** *nec possint meando facere ut minus restet ire* i. e. ut minor via eunda quam confecta sit. **1006.** *copia* sc. spatii. **1008.** *rerum summa* i. e. omnis materies. **1009.** *tenet* i. e. impedit. Ovid. Met. 7,146 *sed te, ne faceres, tenuit reverentia famae.* **1012.** *alterum* est subiectum verbi *terminet.* **1013.** *simplice natura* i. e. solum. — *inmoderatum* i. e. infinitum, ἄπειρον. Cfr. Cic. N. D. 2,65. -- Eorum, quae post hunc versum in codice archetypo intercidisse videntur, haec fere sententia fuisse videtur: sed ne alterutrum quidem eorum finitum esse potest; inane enim infinitum esse iam supra ostendi; praeterea εἰ τὸ κενὸν ἦν ὡρισμένον, οὐκ ἂν εἶχε τὰ ἄπειρα σώματα ὅπου ἐνέστη (Epic. ad Herod. 42); si vero in spatio infinito finita esset materia, *nec mare*...

*

nec mare nec tellus neque caeli lucida templa
nec mortale genus nec divum corpora sancta
exiguum possent horai sistere tempus:
nam dispulsa suo de coetu materiai
copia ferretur magnum per inane soluta,
sive adeo potius numquam concreta creasset
ullam rem, quoniam cogi disiecta nequisset.
nam certe neque consilio primordia rerum
ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt
nec quos quaeque darent motus pepigere profecto;
sed quia multa modis multis mutata per omne
ex infinito vexantur percita plagis,
omne genus motus et coetus experiundo
tandem deveniunt in talis dispositura s,
qualibus haec rerum consistit summa creata,
et, multos etiam magnos servata per annos
ut semel in motus coniectast convenientis,
efficit ut largis avidum mare fluminis undis
integrent amnes et solis terra vapore
fota novet fetus summissaque gens animantum
floreat et vivant labentes aetheris ignes;

1015. Etiam deorum corpora ex atomis constare Epicurus docet. **1022.** *suo* est monosyllabum, ut 5,420. Cfr. *sis* i. e. suis 3,1025. **1024.** *mutare* i. e. loco movere, ut 911 et 913. **1025.** *ex infinito* sc. tempore, quod intellegitur collatis versibus 5,188 et 5,423. **1027.** *dispositura* i. e. dispositio. Cfr. ad 653. **1028.** *haec rerum summa* (creata) i. e. hic mundus. **1029.** *et* sc. qualibus. — „Cum sidera ad idem signum, in quo primitus erant, reverterunt, magnus quem Stoici dicebant annus efficitur, quem Heraclitus putavit esse 18000, Diogenes Stoicus trecenties octogies quinquies 18000 annorum. Per singulos autem magnos annos mundum eodem modo fieri ferrique et res eodem prorsus modo geri propterea credibile Stoicis videbatur, quod universum perfectum esse atque ex eodem semper principio perfecto emergere existimabant." Philolaus Pythagoreus annum magnum 59 annorum esse existimat, per quos Saturnus bis, Juppiter quinquies, Mars semel et tricies, Sol, Mercurius, Venus undesexagies, luna septingenties undetricies circumferantur. Cfr. 5,644. **1033.** *summittere*. Cfr. 8. **1034.** *vivant* i. e. durent. Luc. enim docet 5,110—145 eos errare, qui caeli signa vere vivere putent.

quod nullo facerent pacto, nisi materiai
ex infinito suboriri copia posset,
unde amissa solent reparare in tempore quaeque.
nam veluti privata cibo natura animantum
diffluit amittens corpus, sic omnia debent
dissolui simul ac defecit suppeditare
materies aliqua ratione aversa viai.
nec plagae possunt extrinsecus undique summam
conservare omnem, quaecumque est conciliata:
cudere enim crebro possunt partemque morari,
dum veniant aliae ac suppleri summa queatur:
interdum resilire tamen coguntur et una
principiis rerum spatium tempusque fugai
largiri, ut possint a coetu libera ferri.
quare etiam atque etiam suboriri multa necessest,
et tamen ut plagae quoque possint suppetere ipsae,

1035. Subiectum verbi *facerent* sunt *primordia* [1021]. **1036.** *suboriri* i. e. alia post aliam oriri, suppeditari. Cfr. 2,1138 *suboriri ac suppeditare.* **1037.** *quaeque amissa* est quartus casus. **1039.** *Corpus* interdum dicitur de sola carne, veluti Mart. Spect. 7,6 *inque omni nusquam corpore corpus erat.* Hinc *corpus facere* est pinguescere. Phaedr. 3,7,4 *Unde sic quaeso nites? Aut quo cibo fecisti tantum corporis?* Cels. 7,3. *cibi potionesque corpori faciendo aptae.* Et *corpus amittere* est tabescere, macescere. Cic. fam. 7,26 *ego hic cogito commorari, quoad me reficiam: nam et vires et corpus amisi.* Ovid. Her. 3,141 *abiit corpusque colorque.* Cfr. 1,810; 4,535. **1041.** *aversa viai* Graeco more dictum est, ut haec Horatiana: *sceleris purus, operum solutus, abstineto irarum, desine querellarum, laborum decipitur, regnavit populorum, ciceris invidit.* **1042.** *summam* i. e. mundum. **1045.** *aliae* sc. plagae i. e. aliae atomi, quae plagas efficiunt. — Formae passivae, quales sunt *queatur* et *potestur* [3,1010], non alienae ab antiquiore latinitate, non iunguntur infinitivis nisi passivis, eodem modo atque *coeptus sum* et *desitus sum.* **1049.** *etiam atque etiam* i. e. iterum idem dico. Idem iam dixerat v. 1036. **1050.** *tamen* i. e. his omissis tamen, praeterea, etiam; eodem modo usurpatur 4.811; 5,768. 1096. 1125. 1177; 6,603. Cfr. Cic. ad fam. 10,1,3 *et, praeterquam quod reipublicae consulere debemus, tamen tuae dignitati ita favemus.* ad Att. 13,42,1 *aes, inquit, alienum et tamen ne viaticum quidem.* — *dicunt* imprimis Stoici. Zeno Stoicus apud Stobaeum Ecl. 1,19,4 dicit: *πάντα τὰ μέρη τοῦ κόσμου ἐπὶ τὸ μέσον τοῦ κόσμου τὴν φορὰν ἔχειν, μάλιστα δὲ τὰ βάρος ἔχοντα.*

infinita opus est vis undique materiai.
Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
in medium summae quod dicunt omnia niti,
atque ideo mundi naturam stare sine ullis
ictibus externis neque quoquam posse resolvi
summa atque ima, quod in medium sint omnia nixa,
(ipsum si quicquam posse in se sistere credis,
et quae pondera sint sub terris omnia sursum
nitier in terraque retro requiescere posta,
ut per aquas quae nunc rerum simulacra videmus.
et simili ratione animalia suppa vagari
contendunt, neque posse e terris in loca caeli
reccidere inferiora magis quam corpora nostra
sponte sua possint in caeli templa volare;
illi cum videant solem, nos sidera noctis
cernere, et alternis nobiscum tempora caeli
dividere et noctes parilis agitare diebus.
sed vanus stolidis haec

res non nituntur in universi medium.

1059. *retro* pertinet et ad *requiescere* et ad *posta.* — *posta* i. e. posita; praeterea apud Luc. leguntur *dispostus impostus oppostus praepostus repostus.* — Cic. Acad. pr. 2,123 *qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos ἀντίποδας vocatis.* **1061.** Festus: „*suppum* antiqui dicebant, quem nunc supinum dicimus . . . Eius vocabuli meminit etiam Lucilius" et Accius. **1063.** *inferiora* iungas cum *loca.* **1065.** *illi* sc. contra siti. **1065—7.** Poeta vario modo ter idem dicit. **1067.** *agitare* i. e. agere. Cfr. Cic. Verr. 2,154 *dies festi agitantur.* **1068.** *stolidos* Luc. dicit Stoicos. — Codicum Lucretianum carmen exhibentium *Archetypus,* qui in Gallia scriptus esse videtur saeculo quarto vel quinto, periit. Ex eo descripti sunt: 1. *Oblongus* saeculo nono. 2. *Quadratus* saeculo decimo et ei simillimus alter codex, cuius *Schedae* octo, quae continent lib. I—II 456, Hauniae in bibliotheca regia adservantur, decem, quae continent lib. II 642—III 621, Vindobonae in Caesarea. 3. Codex *Poggianus,* qui periit, ex quo complures codices descripti sunt ab Italis saeculo decimo quinto, quorum optimus est *Florentinus* 30. Omnis igitur fere vetustae lectionis memoria e codicibus Oblongo et Quadrato repetenda est, qui Leidae adservantur; nisi quod Oblongo fidem interdum Italici abrogant, Quadrati auctoritatem imminuunt Schedae. Hunc versum 1068 cum septem proximis dimidiatum exhibent Oblongus et Florentinus; Quadratus et Schedae omittunt adpicta in margine cruce cui numerus VIII suppositus est. Versui 1093 in Quadrato eadem, quae versui 1068, crux

amplexi quod habent perv
nam medium nil esse potest arg. 1.
infinita; neque omnino, si iam medium sit,
possit ibi quicquam consistere
quam quavis alia longe ratione
omnis enim locus ac spatium, quod inane vocamus,
per medium, per non medium, concedere debet
aeque ponderibus, motus quacumque feruntur.
nec quisquam locus est, quo corpora com venerunt,
ponderis amissa vi possint stare in inani:
nec quod inane autem est ulli subsistere debet,
quin, sua quod natura petit, concedere pergat.
haud igitur possunt tali ratione teneri
res in concilium medii cuppedine victae.
Praeterea quoniam non omnia corpora fingunt 2.
in medium niti, sed terrarum atque liquoris,
et quasi terreno quae corpore contineantur,
umorem ponti magnasque e montibus undas,
at contra tenuis exponunt aëris auras

---

apposita est; in Oblongo spatium octo versibus recipiendis aptum relictum est. Iam quid hoc rei esset, Lachmannus, qui carmen edidit anno 1850, perspexit: in Archetypo pars schedae rescissa erat; versus octo in fine mutilos scriptor Oblongi servavit; qui capite truncati essent in pagine interiore, eos octo ne hic quidem scribere ausus est. Deinde apparet in quaque Archetypi pagina fuisse viginti sex versus. Versui 1071 editores addiderunt *medium sit,* 1074 *-ane vocamus,* 1075 *debet.* Versum 1068 suppleri posse addendo *error somnia finxit,* 1069 *-ersa rem ratione,* 1072 *eam magis ob rem,* 1073 *repelli* coniecit Munro, 1070 *ubi summa profundist* Lachmann. **1077.** *com* i. e. quom, cum. **1079.** *ulli* i. e. ulli rei. Cfr. *nullius* sc. rei v. 224 et *nulla* i. e. nullae res v. 242. — *subsistere* i. e. fundamenti loco esse, fundamenti vicem praebere. **1080.** i. e. ut non pergat (i. e. ut desinat; cfr. ad 16) locum dare corporibus, id quod sua natura petit et postulat (i. e. id quod naturae inanis proprium est). **1081.** *teneri in concilium* i. e. ita teneri, ut concilium fiat. **1082.** *cuppedine* i. e. cupidine. **1085.** *et* explicativum, i. e. scilicet. — *quasi* interdum additur sententiae falsae, veluti 3, 729. Lucretius ridet Stoicos, qui putent mare et amnes terrae globo ita contineri, ut cum supra terram sint, medium tamen locum expetentes conglobentur undique aequabiliter neque redundent unquam neque effundantur. Cfr. Cic. de nat. deor. 2, 116.

et calidos simul a medio differrier ignis,
atque ideo totum circum tremere aethera signis
et solis flammam per caeli caerula pasci,
quod calor a medio fugiens se ibi conligat omnis,
nec prorsum arboribus summos frondescere ramos
posse, nisi a terris paulatim cuique cibatum

octo versus interciderunt.

ne volucri ritu flammarum moenia mundi
diffugiant subito magnum per inane soluta,
et ne cetera consimili ratione sequantur,
neve ruant caeli tonitralia templa superne
terraque se pedibus raptim subducat et omnes
inter permixtas rerum caelique ruinas
corpora solventes abeant per inane profundum,
temporis ut puncto nil extet reliquiarum,
desertum praeter spatium et primordia caeca.
nam quacumque prius de parti corpora desse
constitues, haec rebus erit pars ianua leti:
hac se turba foras dabit omnis materiai.
Haec sic pernosces parva perductus opella.
namque alid ex alio clarescet, nec tibi caeca
nox iter eripiet, quin ultima naturai
pervideas: ita res accendent lumina rebus.

1089. Et hic versus iis adnumerandus est, ubi apud Lucretium poësis ex philosophia emicat. — Vocibus, quae sunt *tremere, tremulus, tremor* Luc. denotat ignes scintillantes. **1090.** Cfr. 5, 523—5. **1091.** Hic versus ex meris dactylis compositus levitatem et velocitatem designat. **1093.** Cfr. ad 1068. **1105.** *superne* i. e. sursum versus, ut Plin. H. N. 19, 5, 25 *solum enim hoc genus superne tendit, non, ut cetera, in terram.* — „*tonitralis* recte ab eo deductum, quod est *tonitrum*, quae forma legitur 6, 164 et 171." *tonitrualia* in hexametrum non quadrat. **1106.** *Omnes* iungas cum *ruinas.* **1108.** *abeant* sc. caeli templa terraque. **1111.** *parti.* Cfr. ad 739. **1114.** i. e. haec, quae scripsi hoc primo libro, sic (i. e. meam disputandi rationem secutus) probe nosces parvo tuo labore ad finem a me ductus. — Attende ad *per*nosces *per*ductus *per*videas. — *opella* non legitur nisi h. l. et Hor. Epist. 1, 7, 8 *forensis opella adducit febres.*

LIBER SECUNDUS.